MASTER NEGATIVE NO. 92-80521-5

AUTHOR:

GROSSE-BRAUCKMANN,
EMIL

TITLE:

DE COMPOSITIONE
PASTORIS HERMAE

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1910

Master Negative #

92-80521-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Grosse-Brauckmann, Emil, 1887-
De compositione Pastoris Hermae, dissertatio inavgvralis qvam ... scripsit Emil Grosse-Bravckmann ... Gottingae, officina academica Dieterichiana typis expressit, 1910.
69 p. 22 cm.

Thesis, Göttingen, 1910.


Volume of pamphlets


37292

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-1-92 INITIALS WJE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
COMPOSITIONE PASTORIS HERMAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

EMIL GROSSE-BRAVCKMANN
FLIERICHENSIS.

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
MCMX.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt M. Pohlenz et F. Leo.

Examen rigorosum habitum est die III. mens. Mart. a. 1910.

De Hermae libro qui Pastor inscribitur diversae sententiae prodierunt; primus Champagny (Les Antonins 1863 I p. 134, II p. 347) contendit visiones scriptas esse ab Herma apostolico, reliquam partem ab Herma fratre Pii episcopi; alii etiam plures scriptores esse demonstrabant: A. Hilgenfeld in editione anni 1881 „Hermam pastoralem apocalypticum secundarium" discernit; contra quam discernendi rationem dixerunt A. Link (Die Einheit des Pastor Hermae 1888) et P. Baumgärtner (Die Einheit des Hermas-Buches 1889), quorum ille totum librum optime sibi constare, hic scriptorem certe eundem esse contendit. Similiter A. Harnack (Geschichte der altchristlichen Litteratur) librum diversis temporibus ortum, sed ab uno auctore scriptum esse censet. Res maxime mihi quaestione Fr. Spittae (Zur Geschichte und Litteratur des Urchristentums II 1896) promota esse videtur; qui permultas interpolationes cognoscere sibi visus librum initio Iudaicum fuisse, sed postea ad sensum christianum redactum esse demonstrare conatus est. Viam similem ingressus est D. Völter (Die apostolischen Väter I 1904. Die älteste Predigt aus Rom 1908), qui librum variis temporibus ab eodem auctore scriptum esse contendit. Sed quam incerta adhuc res sit, inde optime elucet, quod idem Völter quae anno 1904 (Die apostolischen Väter I) protulerat iam quattuor annis post (Die älteste Predigt aus Rom 1908) partim reprobavit. Itaque haud sine fructu fore puto rem iterum in disputationem vocare atque inquirere, quomodo Hermae liber compositus sit.

I. De visionibus.

a) Vis. I.

Initium visionis primae et totius libri mirum est: *ὁ θρέψας με πέπρακέν με Ῥόδῃ τινὶ εἰς Ῥώμην. μετὰ πολλὰ ἔτη ταύτην ἀνεγνωρισάμην καὶ ἠρξάμην αὐτὴν ἀγαπᾶν ὡς ἀδελφήν.* Scriptor cum ipse de se et vita sua narraturus esse videatur, tamen neque nomen suum indicat neque quis *ὁ θρέψας* fuerit neque quis illa Rhode. Verbum *πέπρακεν* demonstrare videtur eum servum factum esse; utrum *ὁ θρέψας* pater an dominus prior scriptoris sit, ignoramus. Mirum quoque est, quomodo scriptor pergere possit: *μετὰ πολλὰ ἔτη ταύτην ἀνεγνωρισάμην.* Num Rhoden iam antea noverat, multis autem annis post quam ad eam venit recognovit? an ponendum est tenorem interruptum esse et complura verba excidisse? Concludas ergo scriptorem a domina libertate donatum multum temporis Roma afuisse et quae hoc tanto spatio facta sint, scriptori mentione digna non videri. Quae Zahn (Der Hirt des Hermas 1868 p. 79 sq.) ex his tam paucis verbis de scriptore concludi posse credidit, nescio an recta sint; sed quod putavit vitam diligenter narrare scriptori opus non fuisse, quia eis qui primi librum legerent nota esset, ei non assentiar. Quicumque librum in publicum edit, ei videndum est, ut qui legat eum etiam intellegat. Itaque magis placet, quod Spitta (Zur Geschichte und Litteratur des Urchristentums II p. 247) dicit initium totius libri amissum esse. Accedunt enim alia: reliquae visiones atque mandata et similitudines in omnibus fere codicibus suprascripta sunt vel *ὅρασις β'* vel *ἐντολή α'* vel *παραβολή*; sed in initio totius libri codex Sinaiticus et versio Latina antiquior (Vulgata) et Aethiopica titulum omittunt, quem solus codex Athous et versio Latina recentior (Palatina) exhibent: *ὅρασις α'* vel „incipit visio prima quam vidit Herma". Deinde ver-

siones Latinae illud *ἀνεγνωρισάμην* verbo „cognovi", Aethiopica verbo „inveni" reddunt, non sine consilio ut videtur. Quae Stahl contra Spittam protulit (Patristische Untersuchungen 1901 p. 299: Die begrenzte Bestimmung der Visionen läßt eine autobiographische Pflicht des Verfassers der Gesichte nicht erforderlich erscheinen) mihi quidem persuadere non possunt initium libri integrum esse. Sed non facile cogitari potest, quae amissa sint. Omnino ea, quae capite primo Vis. I. narrantur, quadam ratione ad amorum fabulas proxime accedunt, cuius rei argumenta adhuc exstant; narratur enim, quomodo scriptor Romam venerit, aliquanto post recognitio (*ἀναγνωρισμός*) facta est; amor et cupiditas et pulchritudo mulieris occurrunt. Singula huius fabulae exarare non iam licet, sed constare mihi videtur fabulam neque in coetu christiano neque in iudaico exortam esse. Aliquanto enim post quam illam mulierem in Tiberi lavari viderat, eadem mulier, quam interdum mortuam esse suspicandum est, Hermae caelitus apparet et peccata opprobrio dat; sed Hermas ei haec respondet: *πότε σοι αἰσχρὸν ῥῆμα ἐλάλησα; οὐ πάντοτέ σε ὡς θεὰν ἡγησάμην; οὐ πάντοτέ σε ἐνετράπην ὡς ἀδελφήν; τί μου καταψεύδει, ὦ γύναι, τὰ πονηρὰ ταῦτα καὶ ἀκάθαρτα;* sed verba *ὡς θεὰν ἡγεῖσθαι* et Iudaeum et Christianum reformidasse censeas, atque offensioni fuisse demonstrat primum quod sequitur enuntiatum: *οὐ πάντοτέ σε ἐνετράπην ὡς ἀδελφήν,* quo prius mitigatum esse apparet, deinde quod verba *οὐ — ἡγησάμην* in versione Palatina desunt, id quod minus casu (homoioarkton) quam consilio factum esse puto, denique quod codex Athous pro *θεάν* habet *θυγατέρα* et versio Aethiopica „dominam meam" vertit. Cum Hilgenfeldio in *ὡς θείαν* mutare non licet; immo hic ipse locus originem ethnicam indicare mihi videtur[1].

---

1) A fabulis Romanensibus, ut ita dicam, non alienum est amatam appellare deam, cf. Rohde, griech. Roman p. 156.

Sed quomodo primum caput, quo illa fabula narratur, cum reliquis partibus coniuncta est? Coniunctio non est solida, immo caput primum cum reliquis quadam ratione pugnat. Mulier enim caelitus apparens Hermae malas cupidines cogitationesque opprobrio dat: *ὁ θεὸς . . . . ὀργίζεταί σοι, ὅτι ἥμαρτες εἰς ἐμέ* (1_6). *ἐπὶ τὴν καρδίαν σου ἀνέβη ἡ ἐπιθυμία τῆς πονηρίας. ἢ οὐ δοκεῖ σοι ἀνδρὶ δικαίῳ πονηρὸν πρᾶγμα εἶναι, ἐὰν ἀναβῇ αὐτοῦ ἐπὶ τὴν καρδίαν ἡ πονηρὰ ἐπιθυμία; ἁμαρτία γέ ἐστιν, καὶ μεγάλη φησίν* (1_8). At postea Hermas alteram visionem habet; anus librum tenens et in sella alba sedens eum salutat; cui Hermas causam maeroris sui narrat; anus vero eum consolari conatur dicens: *οὐχ ἕνεκα τούτου ὀργίζεταί σοι ὁ θεός, ἀλλ' ἵνα τὸν οἶκόν σου τὸν ἀνομήσαντα εἰς τὸν κύριον καὶ εἰς ὑμᾶς τοὺς γονεῖς αὐτῶν ἐπιστρέψῃς* (3_1). Ergo illic deum iratum esse propter malam Hermae ipsius cupiditatem, hic propter scelera liberorum eius scriptum videmus, quae inter se non congruere perspicuum est. Attamen liberos peccavisse etiam a priore muliere ostendi videtur: *ἀλλὰ προσεύχου πρὸς τὸν θεὸν καὶ ἰάσεται τὰ ἁμαρτήματά σου καὶ ὅλου τοῦ οἴκου σου καὶ πάντων τῶν ἁγίων*; sed in capite primo de Hermae solius vitio agitur; quid ergo hoc loco vitia liberorum, quin etiam omnium fidelium sibi volunt? At inde a capite secundo scelera liberorum aguntur, quorum Hermas ea tantum ratione particeps est, quod pro suo amore et indulgentia liberos non coërcebat. Haec quoque inter se pugnare puto. Finem orationis, qualem 1_9 invenimus, apud Hermam usitatum esse postea videbimus, sed videbimus quoque tales locos fere semper retractatos esse. Itaque recte quaeri licet, quae ratio intercedat inter caput primum et ea quae sequuntur. Ego quidem plura pugnare puto, quam ut haec ab eodem scriptore eodem tempore concepta sint. Atque hanc discrepantiam hoc modo accidisse existimo: scriptor capite primo narrat ea, quae, nisi ex aliis libris hausit, superioribus temporibus ei contigerunt, fortasse priusquam ad novam religionem aggregatus est; hac narratione, quae nunc decurtata et mutila est, ita usus est, ut eam quasi prooemium libro praeficeret. In reliquis partibus haec fabula nullius momenti est. Tenendum erit hanc visionem totam ad Hermam solum et liberos eius attinere, non ad coetum fidelium.

b) Vis. II.

Visio secunda cum priore ita coniuncta est, ut anno post et eodem loco data fingatur. Hermas Cumas profectus postquam in locum desertum et horridum pervenit et oravit, iterum anum ambulantem legentemque videt et ab ea librum describendum accipit. Cum litteras tantum scripserit neque quicquam intellexerit, liber ei quindecim diebus post revelatur: haec omnia liberis et uxori, quia peccaverint, dicere iubetur, ut vitiorum eos poeniteat atque vitam moresque corrigant. Eodem modo omnibus sanctis, si poenitentiam agent, omnia peccata, quae usque ad hunc diem commiserint, remittentur, gentilibus vero poenitentia usque ad diem novissimum praebebitur. Paulo post autem magna afflictatio (*θλῖψις*) accidet, et qui sustinebunt neque fidem negabunt, salvi fient. Denique Hermas ipse libro admonetur, ne liberorum suorum et uxoris vitia memoria teneat; sed ut ipse fide simplicitate continentia servatus est, ita omnes his virtutibus servabuntur.

Duae res in visione secunda mixtae mihi videntur; namque partim ad Hermam tantum liberosque attinet, partim omnes fideles poenitentiam agere iubet et de miseria futura admonet. Sed hae partes ita compositae sunt, ut facillime discerni possint. Vis. II 2_{2-4a} enim de liberis et uxore Hermae agitur; quae deinde sequuntur usque ad finem huius capitis, ad fideles attinent. Verba male coniunguntur: *μετὰ τὸ γνωρίσαι σε ταῦτα τὰ ῥήματα αὐτοῖς*

(sc. *τοῖς τέκνοις καὶ τῇ συμβίῳ*) . . . *τότε ἀφίενται αὐτοῖς αἱ ἁμαρτίαι, ἃς πρότερον ἥμαρτον,* atque deinde ad omnes fideles transitum faciens scriptor pergit *καὶ πᾶσιν τοῖς ἁγίοις τοῖς ἁμαρτήσασιν μέχρι ταύτης τῆς ἡμέρας, ἐὰν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας μετανοήσωσιν καὶ ἄρωσιν ἀπὸ τῶν καρδιῶν αὐτῶν τὰς διψυχίας.* Sed dixerit quispiam secundum morem scriptoris esse ab ipso et domo sua ad omnes fideles transire, veluti in fine nonnullorum mandatorum [1]). At etiam gravius argumentum exstat. Vis. II 2_3 enim Hermas illa verba cum liberis et uxore communicare iubetur; quae si audierint, non iam peccabunt et priorum peccatorum veniam impetrabunt. Verba omnibus fidelibus dicenda esse nusquam legitur, sed tamen omnibus sanctis, qui peccaverint, peccata remittentur. Haec non congruere mihi manifestum esse videtur: nam dicendum erat illa verba omnibus fidelibus destinata esse. Atque dubitationes, quae § 4 in fidelibus reprehenduntur, non sunt gravissima scelera liberorum, sed id maxime iis opprobrio datur, quod in deum deliquerunt et parentes prodiderunt (2_2) [2]).

Alteram partem ad coetum fidelium attinere, non ad liberos Hermae, clare docent verba 2_5 *ὤμοσεν ὁ δεσπότης . . . ἐπὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ,* deinde quod gentibus poenitentia diutius quam „sanctis" praebetur. Inde a § 6 primum consilium plane mutari videtur; Hermas enim praefectis ecclesiae poenitentiam et miseriam magnam praedicare iubetur. Haec poenitentia quae ad certum

1) Md. IV 4_4 *ἄφεσις ἔσται, ἐὰν τὰς ἐντολάς μου φυλάξῃς· | καὶ πᾶσι δὲ ἄφεσις ἔσται, ἐὰν τὰς ἐντολάς μου ταύτας φυλάξωσι.*

2) Verbum *διψυχεῖν* vel *διψυχία* vel *δίψυχος* apud Hermam saepissime occurrit, sed plerumque absolute dictum; *οἱ δίψυχοι* singularis peccantium ordo sunt. Uno loco Vis. III 4_4 *δίψυχος* explicatur: *διαλογιζόμενος ἐν τῇ καρδίᾳ εἰ ἄρα ἔστιν ταῦτα ἢ οὐκ ἔστιν* (cf. ep. Barnab. 19_5 = Did. 4_4) et Md. IX $_5$: *οἱ διστάζοντες εἰς τὸν θεὸν οὗτοί εἰσιν οἱ δίψυχοι.*

tantum diem praebetur imminente magna miseria, ad totam ecclesiam pertinet. Cap. 3. demum scriptor in priorem viam revertitur: *σὺ δὲ Ἑρμᾶ μηκέτι μνησικακήσῃς τοῖς τέκνοις σου μηδὲ τὴν ἀδελφήν σου ἐάσῃς.* Miseriae Hermae fuisse dicuntur propter peccata liberorum, sed Hermas ipse propter egregios mores servatus est, non modo nunc, sed semper. Quae deinde sequuntur similiter ac supra (2_4) male coniunguntur: *ταῦτα σέσωκέν σε, ἐὰν ἐμμείνῃς, καὶ πάντας σώζει τοὺς τὰ τοιαῦτα ἐργαζομένους* (3_2). Hunc transitum denotasse nunc quidem satis sit. Mirus quoque est ultimus versus (§ 4), quo Hermas Maximo cuidam dicere iubetur „miseriam (*θλῖψις*) adventuram esse; si placeat, neget iterum". Quis ille Maximus fuerit, nescimus; sed quoniam hucusque statuimus duas partes inter se mixtas esse, quarum altera, prior, ad Hermam ipsum attinet, altera, posterior, ad maiorem coetum fidelium vel totam ecclesiam, illum Maximum potius priori parti attribuemus; nam si hunc quoque versum posterioris partis esse putaremus, cur unus Maximus ex toto coetu eximitur et praecipue praeter ceteros de miseria certior fit? Facilius haec eximia admonitio intellegitur, si Maximum aliquem ex cognatis Hermae esse suspicamur.

At si illi Maximo miseria indicatur, opus esse mihi videtur Hermam ipsum et suos de hac miseria futura admonitos et poenitentiam agere iussos esse [1]). Sed haec non inveniuntur in textu qualis nunc exstat. At vidimus omnes fideles monitos esse (2_{4b-8}), quae adhortatio ad omnes pertinens cum priore ad Hermam et liberos eius pertinente non congruit. Itaque puto etiam hoc loco initio Hermam iussum esse suos admonere, ut mores corrigant (cf. § 6 *ἵνα κατορθώσωνται τὰς ὁδοὺς αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ*), quia miseria adveniat (cf. § 7 *ὅσοι ὑπομένετε τὴν θλῖψιν τὴν ἐρχομένην τὴν μεγάλην*); quae adhortationes ab uno ad omnes translatae sunt.

1) Aliam causam ex Sim. VII. postea afferam.

Ut omnia complectar: Hermae liberi et uxor peccaverunt, sed quia magna miseria impendet, admonendi sunt, ut poenitentiam agant, quod si fecerint veniam impetrabunt. Hermae autem non licet priorum scelerum liberorum memori esse, qui ipse virtutibus suis servatus est. Denique Maximus quidam de miseria futura certior faciendus est. Ergo hoc bene tenendum est visionem secundam initio ad Hermam solum et domum eius pertinuisse, sed postea omnia eo redacta esse, ut ad omnes fideles valerent.

Sed quaerere licet, qualis libellus Hermae ab anu datus sit. Hermae enim, quia libellum descriptum non intellexerat, quindecim diebus post „cognitio scripturae revelatur“, quae revelatio ab his verbis exorditur: *ἦν δὲ γεγραμμένα ταῦτα* (2_2). Nunc exspectes adhortationes vitae corrigendae, sed re vera Hermas de sceleribus liberorum certior fit et eis dicere iubetur *ταῦτα τὰ ῥήματα, ἃ ἐνετείλατό μοι ὁ δεσπότης ἵνα σοι ἀποκαλυφθῇ*; cum haec audierint, peccata eis remittentur. Sed quae illa verba? nullas enim adhortationes video. Nam certe § 2 non totum libellum (cf. 1_3 *τοσαῦτα*) continet.

Mirum quoque est initium huius visionis. Hermas enim postquam oravit, anum ambulantem et legentem videt atque ab ea interrogatur, num „haec“ electis dei nuntiare possit; cum tantum memoria tenere non possit, ut librum describat, ei permittitur. Primo eum haec cum liberis suis communicare iussum esse ex capite secundo vidimus, atque hoc mandatum postea demum ad coetum fidelium (*ἅγιοι* vel *ἐκλεκτοί*) translatum esse constituimus. Deinde anus nihil fere dicit, nisi quod libellum describendum tradit. Verba enim *δύνῃ ταῦτα τοῖς ἐκλεκτοῖς τοῦ θεοῦ ἀναγγεῖλαι* ad 2_3 non quadrant, quia hic de domo Hermae, illic de coetu fidelium agitur. Exspectamus autem Hermae dici, quomodo ei hoc libello utendum sit, id quod cap. 2. inveniri puto; nam quae hic *γεγραμμένα* dicuntur, re vera dicta videntur. Nam equidem non in-

tellego, quid verba *γνώρισον ταῦτα τὰ ῥήματα τοῖς τέκνοις σου πᾶσι καὶ τῇ συμβίῳ σου* (2_3) sibi velint, si libello ipso continentur. Sed omnia perspicua sunt, si anus his verbis usa Hermae libellum describendum tradit. Itaque suspicor initio anum cum Herma collocutam esse de libello quodam, quem legerat, atque de peccatis, quae liberi Hermae commiserant; cum Hermas ea, quae anus legerat, memoria tenere non posset, libellum describendum accepit, atque scripta erant talia, quibus liberi admonebantur, ut mores vitamque corrigerent.

Restat ut caput quartum huius visionis tractemus. Domi Hermae a iuvene revelatur illam anum non Sibyllam, sed Ecclesiam fuisse (4_1). Postea — quanto post aut quo tempore, non indicatur — anus ipsa domi Hermae se offert, ut eum interroget, num librum presbyteris iam dederit; Hermam nondum dedisse gaudet, quia verba sua nondum finita sint; sed si omnia verba confecerit, ab Herma omnibus electis ea nuntiari oportere. Duo libri ei scribendi sunt, quorum alter Clementi, alter Graptae mittatur. — Utraque visio a prioribus visionibus plane differt; Hermae enim revelatur dormienti, ac primo quidem a iuvene specioso. Quae recte explicasse videtur D. Völter (Die Visionen des Hermas, die Sibylle und Clemens von Rom 1900 p. 11 sq.). In Vis. I. et II. enim illa anus describitur, quasi Sibylla sit: grandaeva, librum tenens, Cumis[1]) apparens, atque sine dubio initio Sibylla erat. Itaque Hermas iuveni interroganti *τὴν πρεσβυτέραν . . . τίνα δοκεῖς εἶναι* haud dubitanter respondet *τὴν Σίβυλλαν*; sed deinde docetur eam fuisse Ecclesiam. Apparet ergo hanc iuvenis visionem id tantum spectare, ut Sibylla in Ecclesiam mutetur. Sibyllae neque a Iudaeis neque a Christianis alienae erant et libenter ab eis adhibitae sunt, ut hoc

1) Quamquam Vis. I 1_3 et II 1_1 codices graeci *κώμας* (*κώμην*) habent, tamen cum versionibus latinis *Κούμας* legendum esse puto.

modo fidem propagarent. Nescio an figura Sibyllae nonnullis offensioni fuerit et propterea illam anum esse Ecclesiam scriptor retinxerit; sed maximam causam huius transfigurationis fuisse puto, quod scriptor omnes visiones ab eadem Ecclesia datas esse volebat.

Deinde quid altera visio anus significet, facile cognosci potest: dicit enim libro imperfecto aliquid addendum esse, sed quid desit, non comperimus. His verbis ad visionem tertiam transitum fieri scriptor vult, sed cum visione secunda verba haud plane congruunt, quia 2_4 usque ad certum diem poenitentia permissa est et si libellus in publicum nondum edetur, ille dies longius differtur. Sed plus ponderis huic loco attribuendum non est, quia scriptor aut potius redactor tali coniunctione et transitu saepius utitur (cf. Vis. V 5 sq., Md. IV 4_3. V 2_8. Sim. VIII 11_5). Völter (l. c. p. 17) nihil nisi 4_{1-2} postea additum esse et 4_3 *γράψεις οὖν δύο βιβλαρίδια κτλ.* initio cum fine cap. 3. coniunctum fuisse putat. Sed primum constituimus hanc visionem initio ad Hermam et domum eius pertinentem postea eo redactam esse, ut ad omnes fideles valeret; etiam si arbitraremur Vis. II 1—3 inter se congruere, tamen aliquid esset mirum: primo enim libellus Hermae describendus datur, ut electis dei annuntiet; num deinde ex hoc libello ipso certior fiet ei duo exemplaria scribenda esse? Verba quae 4_3 exstant ab anu dicta, non in libello scripta esse mihi constat. Itaque illud *βιβλαρίδιον* (4_3) non solum visiones primam et secundam esse puto, sed has adauctas eis quae sequuntur. Addita sunt haec verba, quo maiore auctoritate libellus apud ecclesiam uteretur.

c) Vis. III.

Visione tertia membra ecclesiae effigie turris, quae variis lapidibus aedificetur, describuntur. Longiore introitu praemisso vera visio inde a 2_4 orditur. Hermas postquam structuram turris vidit, revelationem cupit, quam cum aliis

communicet. Capite quinto anus incipit exponere, qui sint singuli lapides turris. Sed imago et explicatio non plane congruunt. Lapides enim 2_4 sqq. describuntur hoc modo: omnes lapides, qui ad turrim aedificandam adhibentur, sunt quadrati et splendidi: collocantur in turri a sex iuvenibus, sed afferuntur ab hominibus permultis, alteri ex profundo (*βυθός*), alteri ex terra. Lapides qui ex profundo portantur omnes quales sunt in turri ponuntur, quia cum ceteris lapidibus optime coniunguntur. Reliquorum lapidum, qui ex terra afferuntur, alii proiciuntur, alii in turri ponuntur, alii conciduntur et procul a turri removentur (2_{5-7}). Deinde circa turrim multi lapides iacent, quibus usus non est (2_8). Denique procul a turri conspiciuntur alii lapides, qui in viam veniunt neque manent, sed in invium volvuntur, alii in ignem incidentes, alii prope aquas cadentes, sed involvi non valentes (2_9). Ergo lapides, qui in structura ponuntur, inter se omnes aequales esse censeas, nisi quod alteri ex profundo, alteri ex terra oriuntur. Aliter in explicatione (5—7) res se habet. Namque hic primum *οἱ λίθοι οἱ τετράγωνοι καὶ λευκοὶ καὶ συμφωνοῦντες ταῖς ἁρμογαῖς αὐτῶν* apostoli episcopi doctores diaconi, qui munere suo bene functi et quorum nonnulli iam mortui sunt, esse dicuntur, deinde *οἱ ἐκ τοῦ βυθοῦ ἑλκόμενοι καὶ ἐπιτιθέμενοι εἰς τὴν οἰκοδομὴν καὶ συμφωνοῦντες ταῖς ἁρμογαῖς αὐτῶν* explicantur. Hic ergo lapides quadratos albosque fundamentum turris esse fingitur, at secundum visionem (2_4) omnes lapides, quibus turris aedificatur, quadrati et albi sunt. Itaque haec (5_1) ab auctore visionis eodem tempore scripta esse non possunt, id quod Spitta (p. 277 sq.) recte vidit explicavitque: desiderabatur enim apostolos et primos episcopos fundamentum ecclesiae esse; quod fundamentum in visione verbis *οἰκοδομούμενον . . . λίθοις τετραγώνοις λαμπροῖς* (2_4) indicari putabatur, qua in re haec verba ad omnes lapides pertinere praeteriit scriptorem.

Postquam 5_2 lapides qui ex profundo promuntur ex-

plicati sunt. scriptor 5_3 ad eos transit, qui ex terra feruntur; atque hic discernuntur 1) *οἱ εἰς τὴν οἰκοδομὴν ὑπάγοντες καὶ μὴ λατομούμενοι* (5_3), 2) *οἱ ἀγόμενοι καὶ τιθέμενοι εἰς τὴν οἰκοδομήν* (5_4), 3) *οὓς ἀπέβαλλον καὶ ἐρίπτουν* (5_5), 4) *οἱ κατακοπτόμενοι καὶ μακρὰν ῥιπτόμενοι ἀπὸ τοῦ πύργου* (6_1). Ergo hic quattuor genera, in visione (2_7) tria genera lapidum enumerantur; atque discrimen inde exortum est, quod scriptor lapides hos *ὑπάγοντας*, illos *ἀγομένους* esse dicit; fingere sibi videtur lapides partim sua sponte sese in turrim conferre, partim ab aliis in turri poni, quod discrimen in visione minime indicatum est. Hanc opinionem falsam esse ipsum initium huius capitis docet, ubi lapides *ὑπάγοντες εἰς τὴν οἰκοδομήν* dicuntur (5_1), quin etiam primus ordo lapidum, martyres, non sua sponte in turrim pervenit, sed *ἑλκόμενοι καὶ ἐπιτιθέμενοι* (5_2). Itaque discrimen inter *ὑπάγειν* et *ἐπιτίθεσθαι* ad verbum tantum, non ad rem attinet, ut verba 5_4 postea addita esse putem, quia in ecclesia inveniebantur fideles, quorum mores non carerent offensione et qui *νουθετοῦνται . . . εἰς τὸ ἀγαθοποιεῖν. διότι εὑρέθη ἐν αὐτοῖς πονηρία* [1]. Adde quod hoc genus ab eis quae § 5 sequuntur haud multum differt: *ἡμαρτηκότες καὶ θέλοντες μετανοῆσαι.* Hi lapides, qui circa turrim iacent, postea utiles erunt: *εὔχρηστοι ἔσονται εἰς τὴν οἰκοδομήν, ἐὰν μετανοήσωσιν. οἱ οὖν μέλλοντες μετανοεῖν, ἐὰν μετανοήσωσιν, ἰσχυροὶ ἔσονται ἐν τῇ πίστει, ἐὰν νῦν μετανοήσωσιν, ἐν ᾧ οἰκοδομεῖται ὁ πύργος, ἐὰν δὲ τελεσθῇ, οὐκέτι ἔχουσιν τόπον, ἀλλ' ἔσονται ἔκβολοι· μόνον δὲ τοῦτο ἔχουσιν παρὰ τῷ πύργῳ κεῖσθαι.* Quem locum si recte interpretamur, haec dicuntur: lapides haud procul proiecti sunt ii, qui

1) Sic legunt cod. Sinaiticus et versio Palatina, cod. Athous autem versionesque vulgata et Aethiopica habent *διότι οὐχ εὑρέθη ἐν αὐτοῖς πονηρία*; intellegi nequit, quam ob rem hi fideles ad bene faciendum admoneantur, nisi quod propter vitia quaedam eis poenitentia agenda et mores correctos esse bonis operibus demonstrandum est. Itaque cum Spitta (p. 281) lectionem cod. Sin. veram esse existimo.

peccaverunt, sed poenitentiam agent; quo facto utiles erunt et in turri collocabuntur, si quidem nunc, dum turris aedificatur, poenitentiam agent. Alteris qui turri perfecta agent, in turri quidem locus non iam erit, sed prope turrim iacentes boni cuiusdam participes erunt. Duplex enuntiatum condicionale *ἐὰν μετανοήσωσιν — ἐὰν νῦν μετανοήσωσιν* offendit; exspectes enim aut „*ἐὰν μετανοήσωσιν, ἰσχυροὶ ἔσονται ἐν τῇ πίστει*, sed qui poenitentiam non agent, ad fidem omnino non pervenient vel fidem non firmam habebunt" aut „si nunc, dum turris aedificatur, agent, in turrim pervenient". Sed haec posterior sententia iam antea (5_{5a} *ὅτι εὔχρηστοι ἔσονται εἰς τὴν οἰκοδομήν, ἐὰν μετανοήσωσιν*) indicata est neque eam repeti opus est; atque non eadem in § 5 dicuntur: illic lapides circa turrim iacentes simpliciter describuntur, hic vero omnem vim illud *νῦν* et *ἐν ᾧ οἰκοδομεῖται ὁ πύργος* et *ἐὰν δὲ τελεσθῇ* habet, quo fortior vox poenitentiae sit. Sed quaeri licet, num hoc discrimen cum ratione fiat. Nam cum turris ecclesiam significet (3_3), scriptor in animo habuisse videtur describere, qualia membra ecclesiae sint. In visione quidem (cp. 2) de turris aedificatione agitur, non de perfectione; deinde in 6_5, ubi lapides albi et rotundi et non quadrantes in structuram explicantur (= *ἔχοντες μὲν πίστιν, ἔχοντες δὲ καὶ πλοῦτον τοῦ αἰῶνος τούτου*), dicitur nihil nisi divites, postquam divitiae, quae eos corrumpant, circumcisae sint, deo utiles fore; sed quando circumcidendae sint, minime indicatur, ut eis spatium infinitum praeberi censeas. Denique illud *παρὰ τῷ πύργῳ κεῖσθαι* certe a similitudine nona (10_2 sq. *σαρωθῆναι τὰ κύκλῳ τοῦ πύργου καὶ καθαρὰ γενέσθαι*) alienum est. Itaque haec verba *οἱ οὖν μέλλοντες — κεῖσθαι* initio in explicatione visionis defuisse puto. Spitta (l. c. p. 283), qui hac de re easdem causas protulit, omnia inde a verbis *ἐὰν νῦν μετανοήσωσιν* usque ad finem huius paragraphi interpolatori attribuit; me quidem verba priora inde ab *οἱ οὖν μέλλοντες* non minus offendunt. Eadem enim sententia iam antea ad

imaginem accomodatius dicta est: praeterea illud *ἰσχυροὶ ἐν τῇ πίστει* consimile est atque illud *νέοι ἐν τῇ πίστει* (5_4) et *ἐνεδυναμώθητε ἐν τῇ πίστει* (12_3). quos locos postea additos esse vidimus vel videbimus. — Harnack in commentario dicit haec verba esse „cardinem totius praedicationis“; cardo sunt ei, qui visionem ad poenitentiam tantum pertinere putat, id quod scriptor, cum hos locos adderet [1], voluit, non ei, qui visionem esse imaginem ecclesiae cognovit.

Cp. 7. lapides procul proiecti explicantur: qui in viam inciderunt et in invium volvuntur, sunt ii, qui propter dubitationes viam veritatis relinquunt; qui in ignem ceciderunt et comburuntur, sunt ii, qui propter malas cupiditates poenitentiam non iam egerunt et usque ad finem a deo defecerunt; qui vero prope aquas ceciderunt neque in aquas involvi possunt, sunt ii, qui verbum audierunt, sed paulo ante baptismum castitatem veritatis cognoscentes animum mutaverunt atque iterum malas cupidines sectantur. Hic postremus ordo a ceteris differt: illi enim lapides et prope et procul a turri iacentes sunt fideles et qui veritatem cognoverunt; sed qualitate morum et gravitate peccatorum discernitur, num in turrim excipi possint (cf. 5_5—7_2); hi vero ad veritatem cognoscendam non pervenerunt nec baptismum acceperunt. Accedit quod hic aqua baptismi imago est, cum supra (5_2) martyres ex profundo trahantur. Sed verisimile non est profundum esse baptismum, immo recte Spitta (p. 275) demonstrasse mihi videtur, hic de miseria et malis fidelium (*παθόντες ἕνεκεν τοῦ ὀνόματος κυρίου*) cogitandum esse (cf. Psal. 68_{16} LXX *μή με καταποντισάτω καταιγὶς ὕδατος μηδὲ καταπιέτω με βυθός*). Ergo constat aquam dupliciter explicatam esse.

1) Duplex enuntiatum condicionale (*ἐὰν μετανοήσωσι — ἐὰν νῦν μετανοήσωσι*) inde explicari potest, quod scriptor postea ad poenitentiam quam celerrime agendam adhortaturus erat.

Mira ratione in visione ipsa (2_9) hi lapides describuntur: *πίπτοντας ἐγγὺς ὑδάτων καὶ μὴ δυναμένους κυλισθῆναι εἰς τὸ ὕδωρ, καίπερ θελόντων κυλισθῆναι καὶ ἐλθεῖν εἰς τὸ ὕδωρ*, quasi lapides vivant: imago quidem magnopere neglegitur. Quamvis singularis haec opinio sit, etiam multo mirabiliora sunt quae ibidem (§ 9) de reliquis lapidibus narrantur: *ἐρχομένους εἰς τὴν ὁδὸν . . . κυλιομένους ἐκ τῆς ὁδοῦ εἰς τὴν ἀνοδίαν· ἑτέρους δὲ ἐπὶ πῦρ ἐμπίπτοντας καὶ καιομένους*. Quid lapides ardentes significent, non intellego: ignis quidem 7_2 non explicatur. Illud quoque lapides quosdam in viam incidere et deinde in invium pervenire difficultatem habet; unde enim via (*ἡ ὁδός* cum articulo), cuius antea nusquam mentio facta est? Ego quidem iterum imaginem esse neglectam puto. Scriptor genus hominum descripturus erat eorum, qui fide ecclesiae derelicta sectas quasdam sequuntur vel ad fidem ecclesiae omnino non aggregantur. Alia imagine usus est fidem ecclesiae nominans viam veram atque sectas *τὰς ἀνοδίας* (7_1); hanc alienam imaginem ad visionem addidit, cum explicationem iam ante oculos haberet. — Omnes hi lapides sunt procul proiecti a turri. Sed quare § 9 iterum lapides procul proiecti memorantur, postquam de eisdem iam § 7 actum est (*ἄλλους δὲ κατέκοπτον καὶ ἔρριπτον μακρὰν ἀπὸ τοῦ πύργου*)? Nam si scriptor de lapidibus procul proiectis latius agere in animo habebat, cur interposuit lapides circa turrim iacentes (§ 8)? Mirum quoque est, quod primo quidem simpliciter rem narrat, § 9 autem se ipsum vidisse dicit (*ἔβλεπον*). Itaque totam § 9 postea additam esse censeo atque veram visionem § 8 finitam fuisse. Postquam hoc demonstratum est, sequitur ut explicationis quoque pars quae invenitur 7_{1-3} postea addita sit, id quod etiam ex aliis causis apparebit. Nam si turris ecclesiam significat, nec ecclesiam qualis invenitur, sed qualis esse debet, quid tandem interest eos enumerare qui ne videntur quidem membra ecclesiae esse? His verbis remotis expositio optime finitur: anus enim

postquam lapides rotundos albosque explicavit, cum Hermam et fideles, tum divites adhortatur, ut deo utiles fiant (*εὔχρηστοι γίνεσθε τῷ θεῷ* 6_7).

Quamquam explicatio turris finita est, tamen Hermas denuo interrogat (7_5), num omnes hi lapides, qui proiecti et ad aedificandum non apti erant, postquam poenitentiam egerint, in turrim recipi possint. Haec interrogatio ad eos tantum, de quibus 7_{1-3} actum est, pertinere potest; lapides enim haud procul proiectos iam antea (5_5) poenitentia acta utiles fore nuntiatum est, atque idem de divitibus dictum est (6_5). Itaque cum 7_{1-3} postea additum esse cognoverimus, idem de eis quae sequuntur statuendum est. Huc accedunt iterum mirae opiniones; lapides enim, etiamsi poenitentiam agant, tamen in illam turrim recipi non posse dicuntur, *ἑτέρῳ δὲ τόπῳ ἁρμόσουσιν πολὺ ἐλάττονι* (cf. ea quae ad 5_5 exposuimus p. 15).

Postquam omnia genera lapidum explicata sunt, anus Hermae alteram visionem praebet, cum Hermas videndi cupidissimus sit. Circa turrim enim septem mulieres ostendit atque turrim ab eis portari explicat. Quae visio cum priore convenire non videtur, quia illic (2_4) turris supra aquas aedificari dicitur et ab invisibili potentia domini sustineri (3_5). Quacumque ratione hoc explicandum est, id quidem constat cp. 8. novam imaginem et antea minime indicatam incipi. In nona similitudine, quae et ipsa imagine turris ecclesiam describit, initio (2_3) circa portam duodecim virgines stetisse memorantur atque hic virgines optime conveniunt, quia per eas tantum lapides in turri poni licet. In nona ergo similitudine virgines maximi momenti sunt ad turrim aedificandam, at in visione tertia hoc uno loco memorantur et laxe cum priore parte nova visio coniungitur. Repugnantia maxime his verbis apparebit: Vis. III 3_5 *τεθεμελίωται ὁ πύργος τῷ ῥήματι τοῦ παντοκράτορος καὶ ἐνδόξου ὀνόματος, κρατεῖται δὲ ὑπὸ τῆς ἀοράτου δυνάμεως τοῦ δεσπότου* — Vis. III 8_2 *ὁ πύργος*

οὗτος ὑπὸ τούτων (sc. *τῶν γυναικῶν*) *βαστάζεται κατ' ἐπιταγὴν τοῦ κυρίου*. Si scriptor ab initio in animo habebat ostendere has septem virtutes, quas mulieres significent, fidelibus exercendas esse (8_8), cur non statim aliam imaginem finxit? Itaque puto hanc novam effigiem scriptorem aliquanto post addidisse, cum fideles adhortari vellet atque expositurus esset, quae virtutes maxime colendae essent[1]).

Porro Hermas anum interrogat, quando *συντέλεια* veniat, id est finis mundi, qui vocabulo *συντέλεια* significatur. Omnium revelationum est proprium suprema tempora indicare et computare; sed scriptor ipse sensit, si hoc adderet se ab visione, quae aedificationem turris, non consummationem describeret, valde decedere; itaque anus Hermam increpans inducitur, neque quicquam aliud docet, nisi turri perfecta finem mundi adventurum esse atque celeriter aedificatum iri.

Quibus expositis anus Hermam plura interrogare vetat, cum illa commemorasse ei et sanctis satis sit; nam etiam cum sanctis haec communicanda esse. Atque re vera nunc iam nihil de visione explicanda addi potest. Sed tamen anus denuo verba facere incipit, se nonnulla dicturam esse, quae post tres dies Hermae ad omnes fideles referenda sint; atque nunc capite nono longiorem orationem habet, qua fideles ad virtutem admonet. Sed postquam anus ipsa dixit *μηκέτι με ἐπερώτα μηδέν· ἀρκετή σοι ἡ ὑπόμνησις αὕτη καὶ τοῖς ἁγίοις* (8_9), iam nihil exspectes, et quae sequuntur transitu non facto adduntur. Aliud quoque

1) Ceterum virtutes allegoria descriptae illis temporibus saepe occurrunt veluti in Tabula Cebetis; iuvat hic locum Oraculorum Sibyllinorum afferre, ubi virgines et turris item coniunctae sunt, VII 71 sqq.

τρεῖς δ' αὐτῷ πύργους μέγας οὐρανὸς ἐστήριξεν,
ἐν τῷ δὴ ναίουσι θεοῦ νῦν μητέρες ἐσθλαί,
Ἐλπίς τ' Εὐσεβίη τε Σεμνοσύνη τε ποθεινή,
οὐ χρυσῷ χαίρουσα ἢ ἀργύρῳ, ἀλλὰ σεβασμοῖς
ἀνθρώπων θυσίαις τε δικαιοτάτοις τε λογισμοῖς.

mentione dignum est. Anus enim fideles appellat *τέκνα* ($9_{1.9}$). qua appellatione Ecclesiam uti mirum quidem non est (cf. Ep. Joh. II 1. 4. 13), sed postea videbimus anum ab initio non fuisse Ecclesiam. Denique in Vis. II 1_3 Hermas se ea, quae anus legerat, memoria tenere posse negavit (*τοσαῦτα μνημονεῦσαι οὐ δύναμαι*): at hic tam longam orationem sine dubitatione excipit. Quae omnia reputans mihi persuadeo totam orationem (8_{11}—9 fin.) posteriore tempore additam esse.

At non solum visio ipsa explicationesque vestigia retractationis ostendunt, sed etiam initium visionis et explicationis. Anus enim postquam illos sex iuvenes, quibuscum venerat, ad turrim aedificandam dimisit, Hermam in subsellio considere iubet; qui respondet *κυρία, ἄφες τοὺς πρεσβυτέρους πρῶτον καθίσαι*, at anus ut considat instat. Cum Hermas in dextra parte considere velit, anus ei fuse lateque dextram partem eis, qui propter nomen passi sint, destinatam esse exponit: hi enim, qui *μάστιγας φυλακὰς θλίψεις μεγάλας σταυροὺς θηρία* sustinuerunt, gloriam paulo maiorem habent et quamquam praemia omnium eadem sunt, hi in dextra parte sedent. Quibus expositis anus abitura est, sed precibus Hermae permota manet et propter Hermam in dextra parte subsellii considit (1_7—2_4).

Iam Zahnium (Der Hirt des Hermas p. 498) offendit, quod Hermas primos presbyteros considere velit, quamquam anus et Hermas soli adsunt: itaque legendum proposuit *λέγω αὐτῇ κἀγώ· ἄφες πρεσβῦτις, πρῶτον κάθισον*, secundum versionem alteram Latinam: „et ego dixi ei: dimitte seniore primo sedere“: sed hoc recte ab Harnackio in „seniores“ emendatum est; deinde *ἄφες* absolute dictum (Zahn: „laß mir meinen Willen, tu mir den Gefallen“) neque apud Hermam neque apud reliquos Patres Apostolicos invenitur. Rectius Harnack hunc locum interpretatus est: „Hermas occasionem quaesivisse videtur, ubi ecclesia contestaretur presbyteros non in maiore honore esse laicis,

martyres vero utrosque dignitate superare“. Sed Harnackio non concedam hunc tenorem principalem esse: ab visione enim haec re vera aliena sunt. Accedunt aliae offensiones: anus enim, postquam haec exposita sunt, abitura est, quamquam visionem promissam nondum ostendit. Harnack quidem ad hunc locum dicit „similia saepius in libro nostro et in multis apocalypsibus“, cf. Vis. III 3_1 et Sim. IX 10_4: sed his locis nihil demonstratur, quia utroque loco anus vel angelus abituri sunt, postquam visio ipsa perfecta est. At in Vis. III 2_3 antequam visio coepit anum abituram fingi ineptum mihi videtur. Quod vero angeli a dextra parte apparent, hoc proprium visionum est, cf. Sim. X 1_1. Ev. Luc. 1_{11}. Marc. 16_5. 4. Esra 9_{38}. Posterioribus demum temporibus illud „in dextra sedere“ aptus videbatur locus, quo de virtutibus martyrum dissereretur. Hoc toto sermone remoto (1_{8b}—2_{4a}) verba optime inter se coniunguntur: *μόνων ἡμῶν γεγονότων λέγει μοι· κάθισον ὧδε* | *ἐκαθέζετο δὲ καὶ αὐτὴ ἐκ δεξιῶν.*

Totum caput tertium retractatum esse videtur. Anus enim dicit § 2 *ἀκούσονται μὲν πολλοί. ἀκούσαντες δέ τινες ἐξ αὐτῶν χαρήσονται, τινὲς δὲ κλαύσονται· ἀλλὰ καὶ οὗτοι, ἐὰν ἀκούσωσιν καὶ μετανοήσωσιν, καὶ αὐτοὶ χαρήσονται.* Hac postrema sententia ponitur visionem ad poenitentiam admonere velle, qua in re praecipue ad 7_{5-6} prospicitur. At 3_3 nihil scriptum videmus nisi *ἀποκαλύψω σοι, ἵνα χαρῇς μετὰ τῶν ἁγίων.* Mirum est quod hac in visione anus Hermam plures revelationes petere vetat, at extemplo addit eum revelationes rogare non desiturum esse (*μηκέτι μοι κόπους πάρεχε περὶ ἀποκαλύψεως . . . ἀλλ' οὐ παύσῃ αἰτούμενος ἀποκαλύψεις* 3_2); quibus verbis iam hic revelationes similitudinesque insequentes indicantur. Quamquam anus se omnia revelaturam esse promisit (3_2 *ἀποκαλύψω γάρ σοι πάντα*), tamen Hermas § 4 denuo orat, ut sibi revelet: *κυρία, ἐπεὶ ἅπαξ ἄξιόν με ἡγήσω τοῦ πάντα μοι ἀποκαλύψαι, ἀποκάλυψον.* Sed quo illud *ἅπαξ* pertinet?

Visiones prima et secunda non sunt revelationes, qualis visio tertia est, et praecipue ad eas vox *πάντα* non quadrat. Si *πάντα* refertur ad § 3, ubi anus turrim esse ecclesiam breviter dixit, illud *ἅπαξ* non intellegitur. Itaque, nisi forte *ἅπαξ* ad revelationem § 2 promissam pertinet, suspicandum mihi videtur hic magnam partem libri, fortasse totam visionem excidisse, quae suspicio augetur causis quae sequuntur. Hermas enim interrogat, quare turris supra aquas exstructa sit; atque haec respondentur: *εἶπά σοι, φησίν, καὶ τὸ πρότερον καὶ ἐκζητεῖς ἐπιμελῶς. ἐκζητῶν οὖν εὑρίσκεις τὴν ἀλήθειαν. διατί οὖν ἐπὶ ὑδάτων ᾠκοδόμηται ὁ πύργος, ἄκουε· ὅτι ἡ ζωὴ ὑμῶν διὰ ὕδατος ἐσώθη καὶ σωθήσεται. τεθεμελίωται δὲ ὁ πύργος τῷ ῥήματι τοῦ παντοκράτορος καὶ ἐνδόξου ὀνόματος, κρατεῖται δὲ ὑπὸ τῆς ἀοράτου δυνάμεως τοῦ δεσπότου.* Primum apparet *διὰ ὕδατος ἐσώθη* ad baptismum referendum esse, deinde illud *ῥῆμα τοῦ παντοκράτορος καὶ ἐνδόξου ὀνόματος* non esse praedicationem Christi, a quo baptismum esse institutum existimabant, sed illa verba *παντοκράτωρ* et *ἔνδοξος* soli deo ipsi attribuuntur (cf. Vis. I 3_4. IV 2_4. Sim. V 7_4. 1. Ep. Clem. init. et 32_4. 2_3. 8_5. 9_1); ergo discrepantia adest. Vidimus autem p. 16 in 7_3 similiter aquam baptismum significare, quem locum additamentum esse cognovimus. Itaque etiam hoc loco (3_5) baptismum non esse primarium censeo. Sed anus contendit se Hermae iam prius dixisse, quare turris supra aquas exstructa esset, et eum ipsum, si diligenter inquirat, inventurum esse. Quo autem *τὸ πρότερον* pertinet? Spitta (p. 273) referre voluit ad Vis. I 3_4: *ὁ θεὸς τῶν δυνάμεων ... ὁ κτίσας τὸν κόσμον ... καὶ τῷ ἰσχυρῷ ῥήματι πήξας τὸν οὐρανὸν καὶ θεμελιώσας τὴν γῆν ἐπὶ ὑδάτων καὶ τῇ ἰδίᾳ προνοίᾳ κτίσας τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν αὐτοῦ*; sed hic terra supra aquas aedificatur, non ecclesia, id quod Völter (Die apostolischen Väter p. 215) recte obiecit. Völter ipse *τὸ πρότερον* rettulit ad Vis. II 4_1: *ἡ ἐκκλησία ... πάντων πρώτη ἐκτίσθη ... καὶ διὰ ταύτην ὁ κόσμος κατηρτίσθη*.

Sed ne haec quidem explicatio apta est, cum hic ecclesia supra aquas exstructa non dicatur. Equidem *τὸ πρότερον* ad locum referendum esse puto, qui hoc libro non iam contineatur, ad eundem atque illud *ἅπαξ* [1]).

Sed quae maxime in hoc capite offendunt, sunt haec: turris ecclesia est, quae eadem Hermae visionem explicat: *ὁ μὲν πύργος ὃν βλέπεις οἰκοδομούμενον ἐγώ εἰμι ἡ Ἐκκλησία*; hoc mihi quidem absurdum esse videtur atque ne in ecstasi quidem talia Hermam vidisse mihi persuadere possum. Verba quoque quae sequuntur *ἡ ὀφθεῖσά σοι καὶ νῦν καὶ τὸ πρότερον* luce clarius demonstrant scriptorem hoc modo visionem tertiam cum prioribus coniungere voluisse. Anus ergo, quae hanc visionem explicat, Ecclesia esse non potest, ut iterum ad Sibyllam refugias; nonnulla autem obstant. In visionibus enim prima et secunda anus librum tenens apud Cumas, quo Hermas spiritu abreptus est, in regione devia et praerupta et horrenda apparet, at in visione tertia apud Romam ipsam in agro quodam; quam discrepantiam considerans visionem tertiam initio ab Sibylla datam esse non credo, sed ab aliquo angelo, quia visiones plerumque per angelos praebentur.

Demonstrasse mihi videor caput tertium retractatum esse, sed quae prima forma fuerit, difficile intellectu erit. Sermo enim nunc retardatur, nunc repetitur et integratur. Equidem tantum contendam: anus a qua Hermas revelationem petit, hanc promittit et eum singula interrogare iubet. Turris supra aquas exstructa est ecclesia, quae maximo dei miraculo condita est eiusque potentia sustinetur. Qui loci postea additi sint, certo dici non potest, quod scriptor hic non solum adiecit, sed etiam quae aderant

1) G L[1] legunt *εἶπά σοι, φησίν, καὶ τὸ πρότερον· πανοῦργος εἶ περὶ τὰς γραφὰς καὶ ἐκζητεῖς ἐπιμελῶς· ἐκζητῶν οὖν εὑρίσκεις τὴν ἀλήθειαν*, quae lectio nescio an praeferenda sit; hoc modo enim Hermam pro sua deligentia inquirendi e sanctis scripturis rem cogniturum esse exprimitur, sed quam ad scripturam hoc pertineat, non liquet.

mutavit, quin etiam fortasse omisit. Maxime quidem offendunt haec: quod fideles si haec audierint dolebunt, sed poenitentia acta gaudebunt (3_{1b-2a}), deinde quod anus saepius se omnia revelaturam esse repetit, tum quod Hermas, quamquam haec revelatio postrema est, plures petere non desinet (3_{2b}), denique quod anus ipsa Ecclesiam se esse vult (3_3).

Anus postquam colloquendi finem fecit, a iuvenibus ad turrim affertur (10_1). Quae deinde sequuntur, maximam offensionem movent: abeuntem enim Hermas orat, ut quid sibi velint tres figurae, quibus apparuerit, revelet, sed hoc alium quendam interrogare iubetur. At 8_9 anus quicquam ultra quaerere Hermam vetuerat: μηκέτι με ἐπερώτα μηδέν. ἀρκετή σοι ἡ ὑπόμνησις αὕτη. Quomodo igitur Hermae denuo interrogare licet? Deinde 10_2 cum 10_1 male coniungitur; nam postqnam 10_1 anum ad turrim ablatam esse memoratum est, Hermas 10_2 eam, quae iam discesserit, interrogat, quam quaestionem ante 10_1 exspectes. Cum de illis tribus figuris, quibus anus apparuerit, antea nihil accurate dictum sit, scriptori figurae hoc loco demum describendae sunt. Atque in prima visione anus erat λίαν πρεσβυτέρα καὶ ἐν καθέδρᾳ καθημένη; sed Vis. I 2_2 anus hoc modo describitur: γυνὴ πρεσβῦτις ἐν ἱματισμῷ λαμπροτάτῳ, ἔχουσα βιβλίον εἰς τὰς χεῖρας, et in cathedra alba magnaque considebat. In secunda visione scriptor anum talem fuisse vult: τὴν μὲν ὄψιν νεωτέραν εἶχεν, τὴν δὲ σάρκα καὶ τὰς τρίχας πρεσβυτέρας, καὶ ἑστηκυῖά μοι ἐλάλει, ἱλαρωτέρα δὲ ἦν ἢ τὸ πρότερον; anum in visione secunda stetisse recte sese habet, quia sella non adest, ceterum vero eadem est quae anno ante visa est: βλέπω τὴν πρεσβυτέραν, ἣν καὶ πέρυσιν ἑωράκειν, περιπατοῦσαν καὶ ἀναγινώσκουσαν βιβλαρίδιον (Vis. II 1_3); hilaritatis eius in Vis. II. nusquam mentio fit, sed in Vis. I 4_3 ἱλαρὰ δὲ ἀπῆλθεν. Denique in visione tertia anum scriptor contendit fuisse talem: ὅλη νεωτέρα καὶ κάλλει ἐκπρεπεστάτη, μόνας δὲ τὰς τρίχας

πρεσβυτέρας εἶχεν, ἱλαρὰ δὲ εἰς τέλος ἦν καὶ ἐπὶ συμψελίου καθημένη (10_5). In Vis. III 1 subsellium quidem adfuisse memoratur, ceterum vero anus nullo modo describitur, nisi quod 1_2 simpliciter ἡ πρεσβυτέρα dicitur. Cum Hermas se haec intellegere non posse maxime doleat, anus noctu visa eum ieiunare iubet; quo facto adulescens noctu apparens ei revelat, quid illae tres figurae sibi velint (cp. 11—13). His enim figuris et commutationibus exprimitur ecclesiam, quae iam antiqua et invalida erat, praedicatione poenitentiae et revelationibus paulatim revixisse et renovatam esse. Quae expositiones omnes periculosa allegoria efficiuntur: ut exempla afferam: in prima visione anus propterea in cathedra sedebat, quod omnes infirmi propter infirmitatem in cathedra sedent: in tertia autem visione quod in subsellio sedebat: ἰσχυρὰ ἡ θέσις, ὅτι τέσσαρας πόδας ἔχει τὸ συμψέλιον καὶ ἰσχυρῶς ἕστηκεν· καὶ γὰρ ὁ κόσμος διὰ τεσσάρων στοιχείων κρατεῖται, quam „argumentationem mere ineptam“ iam Harnack recte dixit. Sed differunt cathedra et subsellium inter se hoc modo: qui legit et docet, in cathedra sedet, qui vero audit vel spectat vel alia, in subsellio (cf. Md. XI 1, Ev. Luc. 4_{20}). In visione secunda mulier propterea stat, quod Hermae libellum tradit tantum describendum. In fine secundae visionis (II 4_1) aliam explicationem invenimus, quam et ipsam originalem non esse cognovimus: διατί οὖν πρεσβυτέρα; ὅτι πάντων πρώτη ἐκτίσθη (sc. ἡ ἐκκλησία). διὰ τοῦτο πρεσβυτέρα καὶ διὰ ταύτην ὁ κόσμος κατηρτίσθη. At in Vis. III 11_2 hoc modo idem explicatur: διατί πρεσβυτέρα ὤφθη . . .; ὅτι τὸ πνεῦμα ὑμῶν πρεσβύτερον καὶ ἤδη μεμαραμμένον καὶ μὴ ἔχον δύναμιν ἀπὸ τῶν μαλακιῶν ὑμῶν καὶ διψυχιῶν. Discrepantia ergo manifesta est neque minus utramque explicationem ab vera visione abhorrere constat. Vis. II 4_1 scriptor omnes visiones ad summam auctoritatem reducere studet, at visionis tertiae capp. 10—13 eo pertinent, ut visio tertia cum quarta coniungatur. Nam hic

quoque inveniuntur loci, quibus ad posteriores revelationes prospicitur: *ἐδήλωσεν ὑμῖν τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου καὶ ἕτερα δηλώσει* (12_3) et *ἐάν τι δὲ δέῃ, ἀποκαλυφθήσεταί σοι.* Aliud postea tractabimus. Praeterea hac in parte ponitur omnes visiones pariter ad omnes fideles pertinere, itaque quae Vis. I. de Herma solo dicta sunt, ad omnes transferuntur, cf. *οὕτως καὶ ὑμεῖς μαλακισθέντες ἀπὸ τῶν βιωτικῶν πραγμάτων παρεδώκατε ἑαυτοὺς εἰς τὰς ἀκηδίας* 11_3 — *διὰ γὰρ τὰς ἐκείνων ἁμαρτίας καὶ ἀνομήματα σὺ κατεφθάρης ἀπὸ τῶν βιωτικῶν πράξεων* Vis. I 3_1; *ἐπαλαιώθητε ταῖς λύπαις ὑμῶν* Vis. III 11_3 — *κἀγὼ λυπούμενος καὶ κλαίων εἶπον· κυρία χαῖρε. καὶ εἶπέν μοι· τί στυγνὸς Ἑρμᾶ* Vis. I 2_{2-3}; *καὶ οὐκέτι κάθηται, ἀλλὰ ἀνδρίζεται· οὕτως καὶ ὑμεῖς* Vis. III 12_2 — *ὑπάγουσα λέγει μοι· ἀνδρίζου Ἑρμᾶ* Vis. I 4_3. Tota explicatio ergo orta est, postquam visiones prima et secunda ab Herma solo ad omnes fideles translatae sunt.

Visio tertia ergo magno opere retractata et maxime adaucta est. Initio ab angelo quodam turris supra aquas exstructa explicabatur; turris est ecclesia, qualis esse debet. Postea scriptor addidit ea, quae hanc visionem cum reliquis coniungerent et peccatores ad poenitentiam celeriter agendam admonerent.

d) Vis. IV.

Visio quarta imago miseriae futurae esse vult: cf. 1_1 *εἰς τύπον τῆς θλίψεως τῆς ἐπερχομένης* et 2_5. Hermas in itinere deum orans et glorificans repente vocem audit, ne dubitet; quid hoc sibi velit, dum secum considerat, magnam pulveris nubem quasi fuga pecorum motam conspicit. Sed postquam appropinquavit, bestiam esse cognoscit, cuius ex ore locustae igneae prodeunt. Primo quidem Hermas maximo terrore perturbatus deum orat, ut se ab hac tanta bestia defendat, deinde autem illius verbi *μὴ διψυχήσεις* memor animum reficit atque ad bestiam sese confert, quae

denique se humi prosternit neque movetur, donec Hermas praeteriit. Quae deinde sequuntur (1_{10}) tenorem narrationis interrumpunt; primum enim species bestiae describitur (5—6), deinde quid Hermas fecerit (7–9), tum in capite bestiae quattuor colores fuisse adnotatur; quibus verbis (1_{10}) neglectis optimus tenor exoritur: *οὐκ ἐκινήθη, μέχρις ὅτε παρῆλθον αὐτό* ($_{10}$ *εἶχεν δὲ τὸ θηρίον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς χρώματα τέσσαρα κτλ.*) 2. *μετὰ δὲ τὸ παρελθεῖν με τὸ θηρίον*... Quod Weinel (Handbuch zu den neutestamentlichen Apokryphen p. 300) contendit Hermam praetereuntem demum colores in capite bestiae videre potuisse, ei non assentior, cum eadem de locustis ex ore exeuntibus dicas. Potius Spittam (l. c. p. 292) sequamur, qui hunc locum spurium esse demonstravit, id quod ex colorum explicatione (cp. 3) etiam clarius apparebit.

Capite secundo Hermas virginem videt ornatam, quasi ex thalamo exierit, alba veste indutam, usque ad frontem velatam, capillos habentem albos. Cui interroganti Hermas narrat se maximam bestiam vi et misericordia domini effugisse; et deinde ab ea bestiam esse imaginem miseriae futurae comperit; quam visionem cum ceteris „electis“ communicandam esse, ut, si parati sint et poenitentiam egerint, miseriam effugere possint. Postquam virgo ut domino curas committerent crederentque admonuit, finem facit verbis gravibus: *οὐαὶ τοῖς ἀκούσασιν τὰ ῥήματα ταῦτα καὶ παρακούσασιν· αἱρετώτερον ἦν αὐτοῖς τὸ μὴ γεννηθῆναι.* Censeas totum colloquium finitum esse, quia miseria futura iam indicata est.

Sed capite tertio Hermas quid illi quattuor colores sibi velint interrogat. Primus color, niger, est mundus, quem igni et sanguine delendum esse alter color, igneus sanguineusque, indicat; color aureus sunt ii, qui mundum effugerunt et igni probati purgantur. Albus color est saeculum veniens, in quo „electi dei“ habitabunt. Qui colores si recte interpretamur aliquas condiciones vel ac-

tiones significant, quae alia ex alia sequantur: ergo hic erit sensus: mundus quippe qui sit malus et corruptus, igni et sanguine perit, mundo deleto ii, qui effugerunt, quasi aurum igni purgantur, ut puri et utiles facti in structuram turris recipiantur (inopinata hic turris occurrit!), deinde „saeculum veniens", id est vita aeterna, exoritur. Sed hic sensus effici non potest nisi allegoria, quae illam in Vis. III 10—13 allegoriam in mentem vocet. Multo gravius autem est, quod visio quarta data est *εἰς τύπον τῆς θλίψεως τῆς ἐπερχομένης* (1_{1} et 2_{5}). Cur igitur imago vitae aeternae pingitur? Itaque si primam formam huius visionis recuperare volumus, omnia, quae de quattuor coloribus dicuntur, uncis includenda sunt. Spitta eiecit 1_{10} et 3_{1-5} et in § 6 *καί* ante *τὸν τύπον*, quo facto 2_{6} cum 3_{6} bene coniungi putavit. Sed ea quoque, quae in 3_{6} dicuntur, me offendunt; nam quod Hermas omnibus sanctis haec dicere iubetur, nihil novi est, cf. 2_{5}; illud *ἔχετε καὶ τὸν τύπον τῆς θλίψεως τῆς ἐρχομένης μεγάλης* eo pertinere, ut tenor interruptus reficiatur, apparet; deinde *ἐὰν ὑμεῖς θελήσητε, οὐδὲν ἔσται* Hefele eumque secuti Harnack et Funk explicaverunt „non nocebit vobis, sicut Hermae bestia illa non nocuit"; sed *ἔσται* non est „nocebit"; potius hoc vaticinium ex eventu esse puto: oraculum non effectum erat, atque ne quis hoc admiraretur, propter fidem et virtutes ecclesiae miseriam non accidisse dixerunt. Denique *μνημονεύετε τὰ προγεγραμμένα* saltem non accurate dictum est, quia virgo, quae hucusque locuta inducitur, haec verba dixit, non scripsit. Accedit quod virgo orationem melius quam illis verbis, quae supra memoravi (2_{6}), finire non potest. Itaque 3_{1-6} initio defuisse et 3_{7} cum 2_{6} coniunctum fuisse puto.

Mirum est quod Hermas virginem singulariter vestitam statim Ecclesiam esse cognoscit 2_{1-2}, quamquam a pedibus usque ad frontem alba veste induta est, ut Hermas ne faciem quidem videre possit. Quod se *ἐκ τῶν προτέρων*

ὁραμάτων eam cognovisse contendit, hoc ad Vis. III 10—13 referendum est. Nam cum scriptor Ecclesiam post omnes visiones revixisse et iuniorem factam esse finxerit, in Vis. IV. quasi sponsam eam inducit. Igitur cum hi duo loci artissime inter se cohaereant atque illum posteriore tempore exortum esse constet, hunc eiusdem temporis esse censemus. Ergo virgo ecclesia esse non potest. Sed quis tandem virgo est? Hoc quoque contextus ipse docere mihi videtur; virgo enim 2_{4} dicit deum, cum Hermas ei curas permiserit et crediderit, angelum misisse, cuius in potestate bestiae sint, *Θεγρί* appellatum, atque os bestiae clausisse. Sed hic angelus, quem deus misit, nusquam occurrit, quamquam in visionibus angeli semper conspici solent. Cum vero maxime offendat, quod Hermas virginem esse Ecclesiam statim cognoscat, equidem virginis locum antea habuisse angelum *Θεγρί* puto; qui hoc non concedit, illum angelum desiderabit[1].

Initio visionis (1_{3}) Hermas deum orat, ut quas sibi per sanctam Ecclesiam ostenderit revelationes visionesque finiat: sed hoc cum illo loco quem iam tractavimus (Vis. III 3_{2}, *αἱ γὰρ ἀποκαλύψεις αὗται τέλος ἔχουσιν*) non convenit. Deinde constructio sententiarum mira est; primum enim enuntiatum finale duo alia finalia sequuntur, quae omnia aliud ab alio pendere videntur. Cum autem in prioribus visionibus Hermas se peccatorum et poenitentiae memorem fuisse dicit vel deum glorificet (cf. Vis. I 2_{1}, II 1_{2}, III 1_{5}), suspicor etiam in Vis. IV 1_{3} tantum verba *ἵνα με ἰσχυροποιήσῃ κτλ.* primariae originis esse, at primum enuntiatum finale (*ἵνα τὰς ἀποκαλύψεις καὶ τὰ ὁράματα, ἅ μοι ἔδειξεν διὰ τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας αὐτοῦ τελειώσῃ*) postea additum esse, ut visio quarta cum prioribus coniungeretur, praesertim cum visiones per Ecclesiam datas esse ponatur.

1) Veste alba angeli saepe induti sunt, cf. Ev. Matth. 28_{2-3}, Marc. 16_{5}.

Quodsi scriptor visionem quartam cum prioribus coniungere volebat, aliqua ratione ei explicandum erat, quare in prioribus visionibus Ecclesia vetus, at in quarta iunior quasi virgo videretur. Hoc ei contigit, quod ecclesiam post praedicationem poenitentiae renovatam esse et revixisse fingit. Sed haec commutatio condicioni fidelium, quae in visionibus ponitur, minime respondet. Nam etiam si ea, quae in Vis. I. et II. ad Hermam solum pertinent, ad omnes fideles referenda esse censeamus, ecclesia post revelationem primae visionis non emendata est, sed peccare perrexit, cf. Vis. II 2_2 *ἔτι προσέθηκαν ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῶν τὰς ἀσελγείας . . . ἐπλήσθησαν αἱ ἀνομίαι αὐτῶν.* Porro num fideles post visionem secundam mores correxerint, ex visione tertia minime concludi potest.

Denique in Vis. IV 3_4 turris mentio fit, quae verba ad visionem tertiam referenda esse apparet. Sed inde colligi non potest visiones tertiam et quartam semper coniunctas fuisse; id tantum hic locus docet illud caput, quod aliis quoque causis a propria visione alienum esse cognovimus, visione tertia recentius esse.

Visiones quales nunc exstant artissime inter se cohaerere videntur, sed haec coniunctio artificiosa est. Visiones prima et secunda quidem ab initio inter se coniunctae erant, sed formam primam non iam habemus. Visiones autem tertia et quarta initio neque inter se neque cum prioribus visionibus cohaerebant, sed utraque absoluta erat; item utraque retractata et additamentis adaucta est. Prima et secunda visio initio ad domum Hermae pertinebant atque id agebant, ut mores religionem pietatem reficerent. Idem scriptor poetae munere functus Vis. III. similitudinem proponit, quae describit, qualis vera ecclesia esse debeat, deinde ad prophetae gradum ascendit, cum Vis. IV. magnam miseriam futuram esse praedicat. Posterioribus temporibus hae quattuor visiones inter se coniunctae sunt ea ratione, ut omnes ab Ecclesia ipsa datae fingerentur; qua in re nonnullae commutationes factae sunt, cum illud omitteretur, hoc adderetur. Nunc scriptor reformatorem ecclesiae se praestare vult, itaque quae Vis. I.—II. de se et domo sua dixerat, ad omnes fideles transfert et in visionem tertiam complura inserit, quae peccatores ut poenitentiam agant admoneant. Plerique loci, quos posteriore tempore additos esse demonstravimus, hoc consilio explicari possunt: 2_9. 5_{5b}. 7. $8_{1-8.\,10-11}$. 9; quae ad visionem quartam addidit, partim eam cum prioribus coniungunt, partim fideles miseria appropinquante consolantur et ad spem salutis excitant.

II. De mandatis et similitudinibus.

a) Vis. V.

Visio quinta quae vocatur in codice Sinaitico *ἀποκάλυψις* inscripta est, versio Palatina habet „incipiunt pastoris mandata duodecim“, unde elucet hic exordium novae partis esse, quamquam in GAL[1] titulus exstat *ὅρασις*. — Hermas domi suae postquam oravit, virum magnificum videt pastorem; qui ab angelo venerabili se missum esse dicit, ut cum Herma postea semper habitaret. Postquam faciem mutavit, Hermas illum eundem esse, quo antea traditus sit cognoscit. Pastor in animo habet Hermae omnia, quae antea viderit, iterum ostendere atque mandata similitudinesque ei daturus est. Qui mandata servabunt et poenitentiam agent, a deo omnia impetrabunt.

De hac visione optime R. Reitzenstein in libro suo, qui Poimandres inscribitur, (p. 11 sqq.) egit. Demonstravit enim ethnicum opusculum ex corpore litterarum Hermeticarum ortum scriptori exemplo fuisse, sed visionem quintam male aptam esse, quae exordium mandatorum sit. Quomodo pastor mutatus sit, apud Hermam non comperi-

mus; fortasse tamen haec mutatio ex libro pastoris ipso explicari potest. id quod postea videbimus. Post mutationem vultus autem visionem exspectamus, ut in scriptis Hermeticis. Pastor nunc est angelus. quem singulis hominibus attributum esse Iudaei docebant. nunc angelus poenitentiae. qui omnibus fidelibus mandata praescribit. Haec duo in visione quinta permixta sunt: *ὁ ποιμὴν ᾧ παρεδόθης* ad Hermam solum pertinet, at *ὁ ἄγγελος τῆς μετανοίας* ad universam ecclesiam. Illud scriptor ex corpore Hermetico sumpsit, hoc addidit, cum mandata similitudinesque poenitentiae causa datas esse vellet.

In fine autem aliquid turbatum esse Spitta (l. c. p. 249 sqq.) putavit. Legitur enim § 5: *πρῶτον πάντων τὰς ἐντολάς μου γράψον καὶ τὰς παραβολάς, τὰ δὲ ἕτερα καθώς σοι δείξω, οὕτως γράψεις. διὰ τοῦτο, φησίν, ἐντέλλομαί σοι πρῶτον γράψαι τὰς ἐντολὰς καὶ παραβολάς, ἵνα . . . δυνηθῇς φυλάξαι αὐτάς. ἔγραψα οὖν τὰς ἐντολὰς καὶ παραβολὰς καθὼς ἐνετείλατό μοι.* Spitta dici posse negavit *φυλάξαι τὰς ἐντολὰς καὶ παραβολάς*, id non esse „memoria tenere", sed „eis oboedire", cf. § 7; mandatum quidem observari, sed similitudine aliquid illustrari. Sed nescio an tamen dici possit *φυλάξαι παραβολήν*, quia in fine multarum similitudinum admonitiones adnectuntur. Unum autem Spitta neglexisse mihi videtur: quae enim in codicibus similitudines vocantur. non sunt omnes similitudines. sed nonnullae sunt visiones. quae nihil a Vis. III. et IV. differunt. Verae similitudines sunt Sim. I.—V.. visiones sunt Sim. VI. (VII.) VIII. IX. Qui hoc cognoverit. in Vis. V. *τὰς παραβολάς* interpolatum esse cum Spitta non iudicabit. Ipsae enim similitudines mandatis affines sunt et omnes a pastore narrantur atque eo tantum a mandatis differunt. quod haec simpliciter monent atque adhortantur, similitudines autem aliqua re ostenta praeceptum aliquod illustrant. Inde a Sim. VI.—IX. longe alia ratio occurrit; pastor non tam est divinus magister. qui unum discipulum

quasi in tutelam receptum doceat et admoneat. quam angelus poenitentiae, cui poenitentes omnes attribuuntur, cf. Sim. VI 3_6, VIII 2_4, IX 7. Pastor, qui in his similitudinibus multa quidem explicet. ipse primas partes agit, praecipue in Sim. VIII. et IX. Cognationem autem cum visionibus vel inde perspicias, quod eis quae Sim. VI.—IX. exponuntur, ea quae Hermas iam antea viderat in visionibus, latius et diligentius iterum describuntur, id quod initio Sim. IX. etiam expressis verbis indicatur. Itaque in Vis. V. recte sese habet, quod mandata et similitudines scriptor complectitur; haec enim sunt Mdd. et Sim. I.—V., at *τὰ ἕτερα καθώς σοι δείξω οὕτως γράψεις* ad omnia quae sequuntur pertinent, quibus in partibus pastor ipse agit.

At tamen visio quinta retractata esse videtur. Verba enim § 5: *ἀπεστάλην γάρ, ἵνα ἃ εἶδες πρότερον πάντα σοι πάλιν δείξω* male cum sententia quae antecedit coniunguntur *ἰσχυροποιοῦ ἐν ταῖς ἐντολαῖς μου αἷς σοι μέλλω ἐντέλλεσθαι.* Speramus potius pastorem expositurum esse, cur Hermae causa timoris non sit; consilium enim pastoris est alias visiones praebere; nam de visionibus hic cogitandum esse demonstrat vox *δείξω*, id quod Spitta (p. 249) recte cognovit. Itaque *ἀπεστάλην γὰρ κτλ.* olim cum *μὴ συγχύννου* coniunctum fuisse puto.

Mirum est, quod Hermas bis iubetur mandata et similitudines scribere; nam mandata et similitudines se daturum esse pastor illo loco quem modo tractavimus excepto non dixit; sed id tantum in animo habere videtur novas visiones addere. Ergo concludendum erit initio a pastore visiones tantum datas esse. Sed quomodo factum est, ut pastori etiam mandata attribuerentur? Hoc fieri poterat, si Hermas etiam in visionibus mandata acceperat, quia pastoris est omnia iterum ostendere. Atque verisimile mihi est nonnulla mandata aliquando in visionibus stetisse, id quod postea videbimus. Praeterea mira cognatio inter Vis. V. et Simm. VI. VII. intercedere videtur, ut

verba cogitationesque congruant, cf. Sim. VI 1_{4} et Vis. V 7, Sim. VI 2_{5} et Vis. V 1. Sed quid ad Vis. V. hoc valeat, in Simm. VI. VII. tractandis videbimus.

Visionis quintae qualis nunc exstat est a visionibus ad alteram partem transitum facere.

b) Mand. I.—IV.

Primis mandatis singulae virtutes imperantur dialogo inter pastorem et Hermam plerumque sublato. In tertio demum mandato Hermas aliquid intericit; nam postquam veritas commendata est, Hermas contendit se nihil umquam veri dixisse et tamen semper fidem sibi habitam esse; quomodo se salvari posse? Iubetur inde ab eo tempore verum dicere. Haec tanta superlatio demonstratura est, quomodo causa quamvis gravis tractanda sit; maximum pondus habet illud *καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν πᾶσαν ἀλήθειαν λαλήσῃς*, quia scriptor omnia, quae antea falsa aliquis locutus est, nunc poenitentia tolli dicit; similia sunt quae Vis. II 2_{4} et III 5_{5} de poenitentia dicuntur.

Mandato quarto castitas imperatur, id est abstinentia alienae mulieris vel fornicationis; qui tamen hoc peccatum committet, is mortem sibi pariet. Haec in vero mandato, sc. 1_{1-2} tractantur. In 1_{3} admonitio sequitur, quae simili forma in fine omnium fere mandatorum occurrit, cf. Md. I 2b *ταῦτα φύλασσε*, II 3 *ἀπέχου οὖν ἀπ' αὐτοῦ*, II 7 *φύλασσε οὖν τὴν ἐντολὴν ταύτην*. Sed deinde Hermas angelum aliquid interrogat (1_{4}). In ecclesia enim accidit, ut etiam fideles in grave peccatum inciderent. Vitiis minoribus semper venia dabatur (cf. 1. ep. Joh. 5_{16} *δώσει αὐτῷ ζωήν, τοῖς ἁμαρτάνουσιν μὴ πρὸς θάνατον*). Sed quaerebatur, quid in gravibus peccatis, quae etiam decalogo vetarentur, idololatria caede adulterio, faciendum esset. Itaque hoc loco Hermas interrogat, num marito fideli cum muliere adultera convivere liceat. Quae quaestio cum

mandato non congruit; in mandato enim de adulterio, quod vir erga mulierem alienam admittat, agitur, at in quaestione Hermae et in responso angeli agitur de adulterio, quod mulier commisit. Quod in fine 1_{8} dicitur *αὕτη ἡ πρᾶξις ἐπὶ γυναικὶ καὶ ἀνδρὶ κεῖται*, hoc modo duas partes haud plane congruentes inter se cohaerere indicatur. In 1_{8} iterum levis incongruentia occurrit; angelus dicit virum, si mulierem, quae poenitentiam egerit et redire velit, domum non recipiat, graviter peccaturum esse atque pergit: *ἀλλὰ δεῖ παραδεχθῆναι τὸν ἡμαρτηκότα καὶ μετανοοῦντα, μὴ ἐπὶ πολὺ δέ· τοῖς γὰρ δούλοις τοῦ θεοῦ μετάνοιά ἐστιν μία*: exspectes genus femininum, quia in hoc contextu de coniuge recipienda agitur. Forma quae exstat ad omnes peccatores eodem modo pertinet.

Md. IV 1_{9} aliud genus peccatorum tractatur: *ὃς ἂν τὰ ὁμοιώματα ποιῇ τοῖς ἔθνεσιν*, quo enuntiato idololatria circumscribitur, cf. Md. XI 4 *μαντεύονται ὡς καὶ τὰ ἔθνη καὶ ἑαυτοῖς μείζονα ἁμαρτίαν ἐπιφέρουσιν εἰδωλολατροῦντες*. Hoc vitium angelo auctore aeque tractandum est atque adulterium [1]).

Illa sententia *τοῖς γὰρ δούλοις τοῦ θεοῦ μετάνοιά ἐστιν μία* effecit, ut capp. 2. et 3. complura de poenitentia exponerentur. Primum quaeritur, quid poenitentia sit vel quid efficiat (IV 2), deinde quibus condicionibus poenitentiam agere liceat (IV 3). Pastor dicit se omnibus poenitentibus intelligentiam (*σύνεσις*) dare, quia illud ipsum poenitere sit intellegere: *συνίει γὰρ ὁ ἁμαρτήσας, ὅτι πεποίηκεν τὸ πονηρὸν ἔμπροσθεν τοῦ κυρίου καὶ ἀναβαίνει ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτοῦ ἡ πρᾶξις, ἣν ἔπραξεν, καὶ μετανοεῖ καὶ οὐκέτι ἐργάζεται τὸ πονηρόν, ἀλλὰ τὸ ἀγαθόν κτλ.* Tenendum est secundum hunc locum eam tantum poeni-

1) De tertio peccato capitali, caede, toto libro Pastoris nondum agitur: sed posterioribus temporibus haec tria vitia sola poenitentiam non habent.

tentiam veram esse, post quam non iam peccetur. Etiam in visionibus poenitentia quidem postulatur, sed utrum semel an saepius fiat, illic nullius momenti esse videtur. In universum autem illis temporibus duae sententiae exstabant: alteri dicebant baptismum solum esse poenitentiam, alteri post baptismum poenitentiam esse, sed unam. Quae duae sententiae in Md. IV. proferuntur et scriptor dissensionem mitigare conatur; alteram habes Md. IV 1_8 *ἀλλὰ δεῖ παραδεχθῆναι τὸν ἡμαρτηκότα καὶ μετανοοῦντα, μὴ ἐπὶ πολὺ δέ· τοῖς γὰρ δούλοις τοῦ θεοῦ μετάνοιά ἐστιν μία*; alteram IV 3_{1-2} *ἤκουσά φημι κύριε παρά τινων διδασκάλων, ὅτι ἑτέρα μετάνοια οὐκ ἔστιν, εἰ μὴ ἐκείνη, ὅτε εἰς ὕδωρ κατέβημεν καὶ ἐλάβομεν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ἡμῶν τῶν προτέρων.* 2. *λέγει μοι* (sc. *ὁ ἄγγελος τῆς μετανοίας*)· *καλῶς ἤκουσας, οὕτω γὰρ ἔχει. ἔδει γὰρ τὸν εἰληφότα ἄφεσιν ἁμαρτιῶν μηκέτι ἁμαρτάνειν, ἀλλ᾽ ἐν ἁγνείᾳ κατοικεῖν.* Illic agnoscitur poenitentiam post baptismum esse unam, hic nullam. Sed tamen angelus statim addit nunc iis, qui antea vocati sint, deum dedisse poenitentiam (3_{3-5}). Quae sequuntur § 6 perspicua non sunt: *ἀλλὰ ἐγώ σοι λέγω, φησίν· μετὰ τὴν κλῆσιν ἐκείνην τὴν μεγάλην καὶ σεμνὴν ἐάν τις ἐκπειρασθεὶς ὑπὸ τοῦ διαβόλου ἁμαρτήσῃ, μίαν μετάνοιαν ἔχει· ἐὰν δὲ ὑπὸ χεῖρα ἁμαρτάνῃ καὶ μετανοήσῃ, ἀσύμφορόν ἐστι τῷ ἀνθρώπῳ τῷ τοιούτῳ· δυσκόλως γὰρ ζήσεται.* Quae sententia si sola staret, liqueret: *κλῆσιν τὴν μεγάλην καὶ σεμνήν* significaret baptismum, post quem una poenitentia praeberetur; sed tenore huius capitis locus aliam sententiam accipit: primum habemus poenitentiam, quae baptismo ipso acta est (3_1), deinde quae nunc ab angelo dei iussu nuntiatur (3_5) et hanc poenitentiam significare videntur verba *κλῆσις ἐκείνη ἡ μεγάλη καὶ σεμνή*; denique *μία μετάνοια* quasi tertia praebetur; si quis hac postrema poenitentia usus tamen iterum peccat, poenitentia alia inutilis est. Dissensiones ergo graviores sunt. Funkius quidem dissensionem se tollere putavit, cum *μία μετάνοια* (3_6) baptismum esse

dicit[1]. At Funkium fugit se in idem fere vitium incidisse, quod Clementi Alexandrino opprobrio dat; Clemens enim, qui hunc lucum Strom. II 13_{57} affert, paulo alium textum praebet, quem delendo et addendo, ut ait Funkius, vehementer vexavit: Clemens verba *ἐκείνην τὴν μεγάλην καὶ σεμνήν* omisit, post *μία* addidit *ἔτι*, antea scripsit *ἔθηκεν τὴν μετάνοιαν δευτέραν.* Funkio assentiri non possum Clementem consulto textum pastoris commutasse, sed potius arbitror eum re vera alium textum atque nos legisse. Sed dubitari non potest, quin *ἡ κλῆσις ἐκείνη ἡ μεγάλη καὶ σεμνή* baptismus sit, quod verba respiciunt ad *τοῖς κληθεῖσι πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν* (§ 4)[2]. Si *ἡ κλῆσις ἐκείνη ἡ μεγάλη καὶ σεμνή* nova et singularis ad poenitentiam vocatio esset, scriptor non dixisset *ἐκείνην*, sed *ταύτην*, quia nunc demum haec poenitentia (§ 5) ab angelo nuntiatur. Porro Funkius *μίαν μετάνοιαν* esse baptismum contendit, quae sententia cum Vis. II 2_4 plane consentiret. At in Vis. II. fidelibus, id est baptizatis, si quidem de christianis agitur, poenitentia usque ad diem certam nuntiatur, cum ethnicis poenitentia usque ad diem novissimam permittatur; quam ethnicorum poenitentiam agi per baptismum concedam, sed in Md. IV 3_6 *μία μετάνοια* nihil nisi una et sola poenitentia fidelium post baptismum esse potest. Itaque dissensiones exstare obtinendum est.

Sed si baptismum scriptor solam poenitentiam esse

---

1) cf. Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen I 170: während er den Engel der Buße erst nur sagen ließ, es sei so, erklärt er jetzt bestimmter, daß es nach dieser großen und heiligen Berufung nur mehr eine Buße oder Sündenvergebung gebe, nämlich die in der Taufe.

2) Verbum *καλέω* plerumque eo sensu usurpatur, ut significet: vocare aliquem ad fidem Christi, ex ethnico facere fidelem: cf. Sim. IX 14_5 *τοὺς κεκλημένους ὑπ᾽ αὐτοῦ*, sc. *τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ*, 17_4 *πάντα τὰ ἔθνη . . . ἐπὶ τῷ ὀνόματι ἐκλήθησαν τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ*; in Clementis epistula II quae vocatur verbum *καλέω* hoc saepissime significat, cf. $1_{2.8}$. $2_{4.7}$. 5_1. $9_{4.5}$. 10_1.

censuisset, ei ne angelus poenitentiae quidem fingendus erat. Angelus quippe qui poenitentiam administret, sibi ipsi obloqueretur, si poenitentiam nullam nisi per baptismum esse contenderet. Itaque angelus sententiam, quam Hermas vel doctores quidam protulerunt, primum ratione quidem comprobat, sed quia in usu vitaque communi haec tanta severitas observari non potest, morem paulo mitigari vult: singulari dei clementia nunc omnibus, qui iam diutius ecclesiae addicti sunt, poenitentia praebetur; ceterum post baptismum una poenitentia patebit. Nescio an hoc modo illud *ἔδει* 3_2 sit intellegendum: hucusque ista tam severa ratio vigebat, nunc alia succedet. Si hoc caput ita interpretamur, gravissimae dissensiones evanescunt. Nescio an temporibus scriptoris incertum fuerit, utrum poenitentia post baptismum permittenda esset necne, atque scriptor neutram partem offensurus erat [1]).

Deinde scriptor Md. IV 4_{1-2} iterum secundum matrimonium tractat interrogans, num peccet, qui uxore mortua iterum uxorem ducat. Angelus respondet eum non peccare, sed si solus maneat maiorem gloriam adipisci. Cum capite tertio hoc caput male coniungitur; nam postquam comprobatum est eum qui peccatis nullum iam adderet salvari, caput tertium optime conclusum est. Potius caput quartum ad cp. 1_{4-8} respicit; quaeritur enim illic, quomodo agendum sit, si adulterio commisso

1) Quibusdam enim temporibus utraque ratio in ecclesia vigebat: sed quamquam fontes disciplinae poenitentiae non multi sunt, tamen id constat in illa tria peccata caedem adulterium idololatriam primo gravissime animadversum et mitigationem paulatim factam esse. Vitia capitalia unam post baptismum poenitentiam habuisse optime Tertullianus testatur in libris „de poenitentia“ et „de pudicitia“ scriptis. Montanista baptismum esse solam poenitentiam vult, mos ecclesiae secundam poenitentiam permittebat. Secundum rationem quidem post baptismum peccari non licebat (cf. Tertull. de poenit. 7_2), at in vita etiam gravibus delictis una poenitentia praebebatur. Sed tenendum erit numquam defuisse, qui baptismum solam poenitentiam esse vellent.

matrimonium dissolutum sit, hic autem, si morte alterius matrimonium diremptum sit. Itaque quae de matrimonio disseruntur — etiam idololatria est adulterium — eis quae de poenitentia exponuntur (cp. 2—3), plane interrumpuntur. Spitta (l. c. p. 259) Md. IV 2—3 post Vis. V 5 posuit; id quidem concedo caput secundum ad visionem quintam optime quadrare; nam tum postquam Hermas illum pastorem semper secum habitaturum esse comperit, ab eo intelligentiam peteret et porro audiret pastori poenitentiam administrandam esse. Postquam haec dicta essent (Md. IV 2), pastorem in Vis. V. angelum poenitentiae appellare liceret (Vis. V 7 . . . *γράψαι ὁ ποιμὴν ἐνετείλατο, ὁ ἄγγελος τῆς μετανοίας*). Spitta capp. 2. et 3. ordine plagularum turbato in mandato quarto posita esse putat, quia in Md. IV 1_8 similia inveniantur; sed si ordo plagularum turbatus erat, cur capp. 2. et 3. cum Vis. V. non coniungebantur, quo ea pertinere facillime cognosci poterat? Itaque non casu cp. 2. in Md. IV. pervenisse puto. Quod Spitta etiam cp. 3. in visionem quintam recepturus est, ei non assentiar; nam verba *ἐὰν τὰς ἐντολάς μου φυλάξῃς καὶ πορευθῇς ἐν αὐταῖς* (Md. IV 2_4) orationem pastoris optime claudunt, postquam colloquium post parvam digressionem ad principium reduxerunt. Ut autem cap. 3. latius de poenitentia ageretur, eo factum est quod antecedebat illa sententia Md. IV 1_8 *τοῖς γὰρ δούλοις τοῦ θεοῦ μετάνοιά ἐστιν μία*. Huic novae quaestioni quasi exordium cp. 2. sumptum ex visione quinta praemisit.

Denique Md. IV 4_3 scriptor ad initium mandati redit verbis *τήρει οὖν τὴν ἁγνείαν καὶ τὴν σεμνότητα*. neque est conexus inter IV 4_2 et $_3$; haec verba cum vero mandato (1_{1-8}) coniungenda sunt, ut conclusio evadat, quali etiam Md. II. et III. finiuntur.

Mandato I. fides (*πίστις*), II. simplicitas (*ἁπλότης*) et gravitas (*σεμνότης*), III. veritas (*ἀλήθεια*), IV. castitas (*ἁγνεία*) imperantur. Omnia mandata fere eadem ratione

composita sunt; in fine habent admonitionem, ut hoc mandatum observetur. Bene tenendum est, quod non solum haec mandata ipsa, sed etiam admonitiones et promissiones, quae in fine exstant, singulari numero dantur: I_2 *ζήσῃ τῷ θεῷ, ἐὰν φυλάξῃς τὴν ἐντολὴν ταύτην*; II 7 *φύλασσε οὖν τὴν ἐντολὴν ταύτην, ὥς σοι λελάληκα, ἵνα ἡ μετάνοιά σου καὶ τοῦ οἴκου σου ἐν ἁπλότητι εὑρεθῇ*; III 5 *ἐὰν ταῦτα φυλάξῃς . . . δυνήσῃ σεαυτῷ ζωὴν περιποιήσασθαι*; IV 4_3 similiter; unde concludi posse puto Md. I.—IV. aliquando ad Hermam solum et domum eius pertinuisse et postea ad sensum communem redacta esse, quia sententiae, quibus mandata ad omnes pertinere indicatur, male priori admonitioni adnectuntur: *ἐὰν ταῦτα φυλάξῃς . . . δυνήσῃ σεαυτῷ ζωὴν περιποιήσασθαι· | καὶ ὃς ἂν ἀκούσῃ τὴν ἐντολὴν ταύτην καὶ ἀπέχηται τοῦ πονηροτάτου ψεύσματος, ζήσεται τῷ θεῷ* Md. III 5, et *τοῖς δὲ προτέροις σου παραπτώμασιν ἄφεσις ἔσται, ἐὰν τὰς ἐντολάς μου φυλάξῃς· | καὶ πᾶσι δὲ ἄφεσις ἔσται, ἐὰν τὰς ἐντολάς μου ταύτας φυλάξωσι καὶ πορευθῶσιν ἐν τῇ ἁγνότητι ταύτῃ* Md. IV 4_4.

Verbis Md. IV $4_{3\,b.\,4}$ omnia mandata esse finita censeas: nam postquam postremo mandato admonitio addita est, scriptor omnia mandata iam complecti videtur dicens: *ταῦτά σοι ὅσα λαλῶ καὶ μέλλω λαλεῖν, φύλασσε ἀπὸ τοῦ νῦν, ἀφ' ἧς μοι παρεδόθης ἡμέρας καὶ εἰς τὸν οἶκόν σου κατοικήσω· τοῖς δὲ προτέροις σου παραπτώμασιν ἄφεσις ἔσται, ἐὰν τὰς ἐντολάς μου φυλάξῃς.* Verba *καὶ μέλλω λαλεῖν* addita esse apparet, ut alia mandata sequi possent: sed haec ipsa indicare mihi videntur aliquando hic finem mandatorum fuisse. Etiam magis hoc apparebit, si reliqua mandata cum primis quattuor comparaverimus.

c) Mand. V.—XII.

Sermo mandatorum V.—XII. est latus et diffusus, saepius idem aut negative aut paucis verbis mutatis dicitur,

Hermas angelum complura interrogat, ut explicatio producatur. Omnino non iam multum novi affertur, sed quae primo mandato simpliciter dicta sunt, inde a sexto mandato denuo alia forma tractantur. Hoc sibi in animo esse scriptor statim Md. VI 1_1 indicat scribens: *ἐνετειλάμην σοι ἐν τῇ πρώτῃ ἐντολῇ, ἵνα φυλάξῃς τὴν πίστιν καὶ τὸν φόβον καὶ τὴν ἐγκράτειαν . . . νῦν θέλω σοι δηλῶσαι καὶ τὰς δυνάμεις αὐτῶν, ἵνα νοήσῃς, τίς αὐτῶν τίνα δύναμιν ἔχει καὶ ἐνέργειαν.* Itaque agitur Md. VI. de fide, Md. VII. de timore, Md. VIII. de continentia. Haec tria mandata, quae unam sententiam Md. I 2 *πίστευσον οὖν αὐτῷ καὶ φοβήθητι αὐτόν, φοβηθεὶς δὲ ἐγκράτευσαι* singulatim explicant, artissime inter se cohaerent: in omnibus enim *δύναμις* et *ἐνέργεια* singularum virtutum exquiruntur: quae voces non more philosophorum adhibentur, sed simpliciter significant, quid singulae virtutes valeant et quid per eas efficiatur: interdum longa series virtutum et scelerum enumeratur; semper duo genera in bonam et in malam partem discernuntur: *διπλαῖ γάρ εἰσιν αἱ ἐνέργειαι αὐτῶν· κεῖνται οὖν ἐπὶ δικαίῳ καὶ ἀδίκῳ* (VI 1_1), duo sunt angeli hominum, alter iustitiae, alter nequitiae (VI 2_1), postquam opera utriusque enumerata sunt, angelo iustitiae credi iubetur. Etiam timor est duplex, diaboli et domini, sed diabolus non est timendus, quia qui dominum timet, diabolum vincit neque diabolus potestatem habet: atqui deus solus timendus est (Md. VII) [1]).

Etiam continentiae divisionem facere scriptor conatur: Md. VIII 1 *εἶπόν σοι, ὅτι τὰ κτίσματα τοῦ θεοῦ διπλᾶ ἐστιν· καὶ γὰρ ἡ ἐγκράτεια διπλῆ ἐστιν. ἐπί τινων γὰρ δεῖ ἐγκρατεύεσθαι, ἐπί τινων δὲ οὐ δεῖ.* Duplex continentia signi-

1) Similiter Clemens Alexandrinus duplex genus timoris discernit Paedag. 87 p. 149 (Potter) *διττὸν δὲ τὸ εἶδος τοῦ φόβου, ὧν τὸ μὲν ἕτερον γίνεται μετὰ αἰδοῦς, ᾧ χρῶνται πολῖται μὲν πρὸς ἡγεμόνας ἀγαθοὺς καὶ ἡμεῖς πρὸς τὸν θεόν, καθάπερ οἱ παῖδες οἱ σώφρονες πρὸς τοὺς πατέρας . . . τὸ δὲ ἕτερον εἶδος τοῦ φόβου μετὰ μίσους γίνεται, ᾧ δοῦλοι πρὸς δεσπότας κέχρηνται χαλεπούς.*

ficat hoc: bonum est faciendum, malum non faciendum. Sed quaeri potest, ubi scriptor creaturas omnes esse duplices dixerit; nullum locum invenio nisi qui antecedit: Md. VII 5 *πᾶσα ἡ κτίσις φοβεῖται τὸν κύριον, τὰς δὲ ἐντολὰς αὐτοῦ οὐ φυλάσσει*; discernuntur ergo animalia, quae dei mandata observent et quae non observent. Atque quod scriptor concludit: ut duplex est natura, ita duxplex quoque est continentia, hic est deterrimus transitus. Quin etiam sentire possumus, quantum operae scriptor hanc in rem impenderit; mandatum septimum enim § 4 finitum est: *φοβήθητι οὖν τὸν κύριον καὶ ζήσῃ τῷ θεῷ· καὶ ὅσοι ἂν φοβηθῶσιν αὐτὸν τῶν φυλασσόντων τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ζήσονται τῷ θεῷ*, quomodo omnia fere mandata finiuntur. Nunc demum quid *ζήσονται τῷ θεῷ* significet interrogat Hermas, qui iam persaepe antea hoc audiverit, cf. Md. I 2, III 5, IV 2_4. 4_3, VI 10. Continentiam duplicem esse aliter demonstrare non potest, nisi quod naturam quoque duplicem esse contendit. Denique quid haec duplex continentia sibi velit, equidem non intellego; continentia enim, secundum quam a nonnullis rebus abstinere non licet (*ἐπί τινων δὲ οὐ δεῖ ἐγκρατεύεσθαι*) est nulla. Ceterum hoc mandato praecipitur a malo esse abstinendum, bonum esse exercendum. Late enumerantur scelera (§ 3) et virtutes (§ 7—9) et quae ex iis sequantur (*τὰ ἀκόλουθα αὐτῶν* § 5 et 10). Quae quamvis bona sint, ineptissima quidem est ratio, qua hoc mandatum cum prioribus coniunctum est. Scriptoris multum interfuisse videtur demonstrare, quam arte Mdd. VI.—VIII., quae Mandatum primum explicatura sint, inter se cohaereant.

Mandatorum quae sequuntur nonum decimum duodecimum artius coniuncta sunt, siquidem omnia inducuntur verbis *ἆρον ἀπὸ σεαυτοῦ*, cum postea sequatur *ἔνδυσαι δέ*, cf. IX 1 et 7, X 1_1 et 3_1, XII 1_1 et 2_4. Atque exuendae sunt *διψυχία* et *λύπη* et *ἐπιθυμία πονηρά*, induendae *πίστις* et *ἱλαρότης* et *ἐπιθυμία* (*τῆς δικαιοσύνης*) *ἀγαθή*.

Haec mandata eodem modo comparata sunt: duae partes diligenter discernuntur, priore scelus evitandum, posteriore virtus petenda describitur. Quibus cum mandatis artissime cohaeret mandatum quintum. Md. V. angelus Hermam vitio iracundiae carere et prudentem esse iubet; qui hoc sequatur, eum omnem iustitiam exercere posse. Primo capite longanimitatem (*μακροθυμία*) rem dulcissimam esse, iracundiam vero (*ὀξυχολία*) esse acerbissimam demonstratur, cf. 1_6; capite secundo quid *ὀξυχολία* et *μακροθυμία* efficiant (*ἐνέργεια*) describitur; denique 2_8 maxime praecipitur, ut hoc mandatum observetur: *ἐὰν γὰρ ταύτης τῆς ἐντολῆς κυριεύσῃς, καὶ τὰς λοιπὰς ἐντολὰς δυνήσῃ φυλάξαι, ἃς σοι μέλλω ἐντέλλεσθαι*. Mandatum quintum ergo quasi exordium aliorum mandatorum primum locum obtinet; atque „reliqua mandata“ mihi IX. X. XII. videntur esse, quibuscum quintum artius cohaeret, cf. X 1_1 *ἆρον ἀπὸ σεαυτοῦ, φησί, τὴν λύπην, καὶ γὰρ αὕτη ἀδελφή ἐστιν τῆς διψυχίας καὶ τῆς ὀξυχολίας*[1]). Quodsi tristitia dubitatio iracundia tam arta propinquitate coniunctae sunt, eas aliquando unam post alteram tractatas fuisse puto, quae nunc Mdd. VI.—VIII. valde interrumpantur.

Dirimuntur vero etiam mandato XI., quod a veris mandatis alienum esse iam Hilgenfeld cognovit et Spitta cum similitudine prima, quam propius ad mandata accedere putavit, commutandum proposuit. Nam cum reliqua mandata verbis *λέγει μοι* vel *φησί* incipiant, Md. XI. sic exorditur: *ἔδειξέ μοι ἐπὶ συμψελλίου καθημένους ἀνθρώπους καὶ ἕτερον ἄνθρωπον καθήμενον ἐπὶ καθέδραν· καὶ λέγει μοι*; ergo habes visionem. Atque docetur, quo modo verus

1) Mirum est, quod in Md. X 1_{3-6} Hermas docetur, quomodo similitudines intellegendae sint, quamquam antea nusquam de similitudinibus dictum est; nam illud *ἡ λύπη καταφθείρει τὸν ἄνθρωπον καὶ ἐκτρίβει τὸ πνεῦμα καὶ πάλιν σώζει* pro similitudine habere absurdum est. Itaque recte his verbis tenorem interrumpi iudicaverunt Spitta (p. 259) et Völter (p. 255).

propheta a falso discerni possit; in fine autem admonetur, ut alteri spiritui credatur, ab altero abstineatur. Md. XI. propter formam extra ordinem stare concedendum est. sed quod ad res ipsas attinet, in vetere ecclesia munus prophetarum maximi momenti erat (cf. Doctr. Apost.). Itaque non admiror, quod scriptoris intererat exponere, quid de prophetis cogitandum esset. Sed Md. XI. novissimarum partium esse et propterea quam maxime in fine omnium mandatorum insertum esse videtur.

Mandata omnia finiuntur Md. XII 3_2: συνετέλεσεν οὖν τὰς ἐντολὰς τὰς δώδεκα καὶ λέγει μοι· ἔχεις τὰς ἐντολὰς ταύτας. Hermas omnes, qui haec mandata audituri sint, admonere iubetur, ut poenitentia eorum caste agatur, quot dies eis reliqui sint. Ergo Hermas sibi ipsi munus praedicatoris tribuendum curat, 3_{2-3}. At postea (§ 4–6) cum Hermas dubitet, num mandata, quamvis bona et pulchra sint, ab ullo homine observari possint, quia difficillima sint, angelus respondet, quasi ad Hermam solum et domum eius mandata pertineant: ἐὰν ταύτας μὴ φυλάξῃς, ἀλλὰ παρενθυμηθῇς, οὐχ ἕξεις σωτηρίαν οὔτε τὰ τέκνα σου οὔτε ὁ οἶκός σου κτλ. § 6. Hermas ergo nunc interpres voluntatis dei videtur, nunc de hac voluntate ipse certior fit, ut una cum suis poenitentiam agat. Hermae neganti mandata observari posse angelus respondet 3_5 ἐὰν σὺ σεαυτῷ προθῇς, ὅτι δύνανται φυλαχθῆναι, εὐκόλως αὐτὰς φυλάξεις καὶ οὐκ ἔσονται σκληραί. Tamen capite quarto mira ratione demonstratur mandata ab hominibus observari posse: εἰ οὖν πάντων ὁ ἄνθρωπος κύριός ἐστι τῶν κτισμάτων τοῦ θεοῦ καὶ πάντων κατακυριεύει, οὐ δύναται καὶ τούτων τῶν ἐντολῶν κατακυριεῦσαι; δύναται, φησί, πάντων καὶ πασῶν τῶν ἐντολῶν τούτων κατακυριεῦσαι ὁ ἄνθρωπος ὁ ἔχων τὸν κύριον ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. Deinde angelus iterum admonet, ne diabolum timeant, quia potestatem hominum non habeat, 4_6; sed tamen Hermas cap. 5. contendit homines quidem ad mandata observanda

paratos esse, sed a diabolo premi et subigi. atque iterum docetur diabolum servis dei nocere non posse (cf. Md. VII). Etiam capite sexto nihil continetur nisi adhortationes communes: μὴ φοβηθῆτε τὸν διάβολον — πιστεύσατε τῷ θεῷ — ἀκούσατέ μοι καὶ φοβήθητε τὸν πάντα δυνάμενον, σῶσαι καὶ ἀπολέσαι καὶ τηρεῖτε τὰς ἐντολὰς ταύτας, καὶ ζήσεσθε τῷ θεῷ. Denique in fine mandatorum maxime ea permixta sunt, quod angelus nunc apud Hermam, nunc apud omnes fideles se habitaturum esse contendit. cf. 3_3 ἐγὼ μετά σου ἔσομαι, 4_7 ἐγὼ ἔσομαι μεθ' ὑμῶν ὁ ἄγγελος τῆς μετανοίας. 6_1 ἀπεστάλην γὰρ μεθ' ὑμῶν εἶναι τῶν μετανοούντων ἐξ ὅλης καρδίας ὑμῶν καὶ ἰσχυροποιῆσαι αὐτοὺς ἐν τῇ πίστει, at Vis. V 2 ἀπεστάλην ὑπὸ τοῦ σεμνοτάτου ἀγγέλου, ἵνα μετά σου οἰκήσω τὰς λοιπὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου. item Md. XII 6_1 ὅτι σὺ μετ' ἐμοῦ εἶ.

Haec omnia demonstrare mihi videntur finem mandatorum magno opere retractatum esse: id quidem non dubito, quin haec duodecim mandata semper hoc modo conclusa fuerint: sed quae nunc exstat conclusio non iam est principalis, atque difficile est cognoscere, quae verba primae conclusioni attribuenda sint. Id quidem suspicari licet in conclusione talia fere dicta fuisse: mandata, quamvis bona et pulchra, difficilia observatu esse, sed qui hoc sibi proponat, eum omnia observare posse: diabolum impediturum non esse, quin observentur, quia ipse potestatem non habeat. Quae audivisse Hermae satis est speratque se mandata observaturum esse, quia pastor secum habitaturus sit. Haec fere dicuntur his locis: Md. XII $3_{2.4-6}$, 5_{1-2}. $6_{4.5}$, sed certi quicquam dici nequit.

Mandata qualia nunc exstant retractata esse apparet; ac primum discernendum est inter Mdd. I.—IV. et ea quae sequuntur. Haec prima quattuor mandata omissis eis partibus, quas postea additas esse constituimus, a reliquis brevitate et sermone differunt. Sed dubito, num semper cum reliquis coniuncta fuerint; in Md. I. enim illae tres

virtutes (πίστις φόβος ἐγκράτεια) tantum valent, ut qui habeat omnem nequitiam abiciat et induat iustitiam: at in Md. V. idem longanimitas (μακροθυμία) et prudentia (σύνεσις) efficiunt, cf. haec: Md. I πίστευσον οὖν αὐτῷ καὶ φοβήθητι, φοβηθεὶς δὲ ἐγκράτευσαι. ταῦτα φύλασσε καὶ ἀποβαλεῖς πᾶσαν πονηρίαν ἀπὸ σεαυτοῦ καὶ ἐνδύσῃ πᾶσαν ἀρετὴν δικαιοσύνης — Md. V 1_1 μακρόθυμος γίνου καὶ συνετός, καὶ πάντων τῶν πονηρῶν ἔργων κατακυριεύσεις καὶ ἐργάσῃ πᾶσαν δικαιοσύνην et Md. V 2_8 ἐὰν γὰρ ταύτης τῆς ἐντολῆς κυριεύσῃς, καὶ τὰς λοιπὰς ἐντολὰς δυνήσῃ φυλάξαι. Fundamentum virtutis aliud est. Huc accedit quod post Md. IV. aliquando finem mandatorum fuisse vidimus (p. 40). Ergo duo corpora mandatorum exstant, quae ab eodem pastore data esse non possunt. Quod in Md. V. praeter longanimitatem prudentia primum locum obtinet, hoc optime quadrat ad pastorem, qui omnibus poenitentibus prudentiam (σύνεσις) dat (Md. IV 2) et initio ipse νοῦς erat (cf. Reitzenstein, Poimandres). Itaque Md. V. et quae sequuntur exordium mandatorum fuisse suspicandum est. At quo pertinent Md. I.—IV., si hac e serie mandatorum removenda sunt? Quaesivimus in visione secunda, qualis libellus Hermae ab anu traditus sit, et vidimus ea quae γεγραμμένα dicuntur, scripta fuisse non posse et adhortationes quasdam exspectavimus. Has adhortationes, quas illic desideravimus, Md. I.—IV. esse puto additamentis exceptis. Quae opinio confirmatur, cum haec considerantur: in visione quinta pastor se missum esse contendit, ut quae antea vidisset Hermas, iterum ostenderet, id est pastori novae visiones praebendae sunt. Sed quomodo scriptori in mentem venit eidem pastori et mandata et visiones tribuere? Ego quidem id optime explicari puto inde, quod etiam in visionibus mandata erant.

Md. V.—XII. partim priora repetuntur, partim nova adduntur. Maximam partem nova sunt Mdd. V. IX. X. XII,

quae artissime inter se cohaerent; sed etiam quae hic imperantur, non plane a visionibus aliena sunt; Vis. II 2_4 enim dicitur ἐὰν . . . ἄρωσιν ἀπὸ τῶν καρδιῶν τὰς διψυχίας, cf. Md. IX.

Mdd. VI. VII. VIII. scriptor elaboravisse videtur, ut unum Md. I. latius explicaret, postquam Mdd. V. IX. X. XII. iam confecit; deinde ea inseruit eo loco, qui solus erat aptus. Md. XI. vero novissimarum partium est. Denique omnia retractata et praecipue in fine adaucta sunt.

d) Sim. I.—V.

Primae similitudines cum mandatis quadam affinitate coniunctae sunt; exemplo enim aliquid illustratur, quo facto admonitio adnectitur. In similitudine prima fideles admonentur, ne multas divitias sibi comparent, quia in mundo quasi in urbe aliena habitent et ab imperatore expelli possint. Spitta similitudinem primam cum mandato undecimo commutandam proposuit, quia illa more mandatorum verbis λέγει μοι, hoc similitudinum more verbis ἔδειξέ μοι incipitur. Sed ut Md. XI. minime est similitudo, ita, etiamsi Sim. I. transponeretur, tamen ordo mandatorum eodem modo quo nunc interrumperetur.

Sim. II. exemplo ulmi vitisque illustratur, quae officia divitibus erga pauperes exsequenda sint. Sim. III. et IV., quae artissime inter se cohaerent, arboribus ostentis docetur, quo modo iusti et peccatores discerni possint. In fine iterum bona opera facere et a multis negotiis abstinere fideles iubentur.

In Sim. V. primum exponitur, quare haec similitudo data sit. Pastor enim Hermae, quem quodam die mane ieiunantem invenit, quia „stationem habeat“, quid verum ieiunium sit explicat: μηδὲν πονηρεύσῃ ἐν τῇ ζωῇ σου καὶ δούλευσον τῷ κυρίῳ ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, τήρησον τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ κτλ. 1_5. Postquam haec mandata moralia dedit, ei similitudinem ad ieiunium pertinentem dicere pergit (cp. 2):

ἄκουε τὴν παραβολήν, ἣν μέλλω σοι λέγειν ἀνήκουσαν τῇ νηστείᾳ. Atque haec fere narrantur: agricola qui longius iter facturus est, vineam suam servo fideli tradit saepiendam; servus autem vineam non solum saepit, sed etiam herbas evellit et humum fodit. Dominus reversus servum plus fecisse quam iussus erat maxime gaudet eumque praemiis afficit coheredem filii faciens. — Huic similitudini explicatio cap. 3. adnectitur: qui aliquid boni praeter mandatum dei faciet, maiorem gloriam apud deum sibi pariet. Itaque qui verum ieiunium servabit, ea quae ieiunando seposuerit, viduis et orbis dabit. Hactenus de ieiunio, atque totam similitudinem explicatam esse censeas, cum hac similitudine illustretur, qua ratione ieiunium servandum sit. 2_1; et concluditur similitudo verbis: **ταῦτα οὖν οὕτω τηρήσεις . . . τηρήσας δὲ αὐτὰ μακάριος ἔσῃ** 3_9.

Sed deinde cap. 4. Hermas pastorem orat, ut similitudinis res singulas sibi explicet: quid sit ager et dominus et vinea et servus et cetera (4_1). Ergo plane oblivisci videtur similitudinem explicatam esse, potius similitudinem existimat allegoriam, cuius res singulae explicatione egeant. Quae explicatio finem et modum transit neque cum vera similitudine congruit. Conferas haec: ager = hic mundus; dominus agri = deus creator; filius = spiritus sanctus; servus = filius dei: vites = hic populus, quem ipse plantavit; pali = sancti angeli; herbae = iniquitates servorum dei; cibi = mandata dei: amici = sancti angeli; absentia domini = tempus, quod usque ad eius adventum superest. Ut ab extremo exordiar, in similitudine dominus, postquam ex itinere rediit et servum optime meritum vidit, ei cibos praemium industriae mittit; at in explicatione deus per filium suum populo suo mandata offert, et absentia nondum finita est, sed adventus (**παρουσία**) adhuc imminet. Quis tandem adveniet? in similitudine dominus revertitur, sed christiani filium dei, quem in similitudine servus significat, adventurum esse sperabant. Et pali et amici sunt angeli,

qui hoc modo inter se differunt: illi *οἱ συγκρατοῦντες τὸν λαὸν αὐτοῦ*, hi *οἱ πρῶτοι κτισθέντες*. Quae omnia demonstrant, quam non quadret explicatio ad similitudinem, ut suspicandum sit scriptorem hanc alteram explicationem postea addidisse. Denique scriptor cp. 6. respondet interroganti *διὰ τί ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ εἰς δούλου τρόπον κεῖται*, quae explicatio ad similitudinem etiam minus quadrat. Conclusio, quae cap. 7. continetur, initium quo de ieiunio agebatur, omnino non respicit, sed ad cp. 6. tantum pertinet.

Scriptor ergo aliqua fabula usus est, ut quid verum esset ieiunium demonstraret; postea vero eadem similitudine christologiam illustrare conatus est. Sed paene mirum videtur, quod Hermas sine ambagibus pastorem iterum orat, ut similitudinem sibi explicet (4_1), quamquam paulo ante omnia exposita sunt. Ac nunc velim recorderis illius loci, quo tenorem mandati decimi interrumpi Spittam et Völterum secuti iudicavimus (cf. p. 43). Spitta hanc disputationem (Md. X 1_{3-6}) non interpolatori attribuit, sed casu huc pervenisse atque alibi inserendam esse putavit; compluribus locis eam inseri posse, sed nullum aptiorem videri quam post Sim. V 2_{11}. Id quidem concedendum est Md. X 1_{3-6} e similitudinibus ortum esse, sed cum Sim. V 3_1 eadem fere dicantur atque Md. X 1_3, hunc locum antea inserere dubito; potius illis verbis optime quam ostendimus lacunam expleri puto. Nam quae Md. X 1_{3-6} dicuntur, omnia ad similitudinem quintam respicere et ad explicandam christologiam prospicere videntur. Saepius enim occurit vox *θεότης*, veluti *ἐπιζητήσαντες περὶ θεότητος* vel *οὐ νοοῦσι τὰς παραβολὰς τῆς θεότητος* vel *ὅταν ἀκούσωσιν περὶ θεότητος*, atque hoc pertinere puto ad explicandam Christi divinitatem, sc. Sim. V 4—7; quod vero dicit *καθὼς οἱ ἀμπελῶνες οἱ καλοί, ὅταν ἀμελείας τύχωσι, χερσοῦνται ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν καὶ βοτανῶν ποικίλων, οὕτως κτλ.*, haec ad similitudinem ipsam respiciunt. Totus locus novam similitudinis quintae explicationem incipit,

et quod in seriem mandatorum pervenit, hoc casu factum esse concedendum erit [1].

Sed secunda explicatione vera similitudo mutata videtur. Mirum enim est, quod dominus servo, si mandatum suum observet, se libertatem daturum esse promittit. Quare servo hoc tantum praemium praebeatur, non intellegitur; nam servus quamvis fidelis et bonus sit (2_1), nihil singulare facere iubetur. Sed servum, postquam plus quam iussus erat fecit, libertate donatum esse nusquam nuntiatur. Dominus enim postquam opera servi inspexit, maxime gaudet et filium amicosque ad consilium convocat; qui re cognita et ipsi gaudent et domino proponenti servum coheredem instituendum esse assentiuntur. Paucis diebus post dominus, cum convivium celebret, „servo" illi multos cibos mittit; ponitur ergo servum convivio non interesse. „Servus" autem ciborum quantum sibi satis est reservat, reliquum „conservis" largitur. Ergo re vera adhuc servus, non libertinus est, cum semper dicatur *δοῦλος* et *σύνδουλοι*. Reliqui servi liberalitate eius gavisi dominum orant, ut maiore praemio afficiat eum, qui se familiariter usus sit; hoc quoque dominus amicis filioque annuntiat, qui „etiam magis" servum coheredem esse instituendum assentiuntur. — In narratione fabulae desideratur, quod servus re vera libertate donatus est. Nam quare coheres convivio non interest? aut quomodo conservi orare possunt, ut illi maius praemium praebeatur, cum maius dari iam nequeat? quid alterum concilium sibi vult, si nihil aliud iam facere potest, nisi etiam magis assentiri (*ἔτι μᾶλλον συνευδόκησαν*)?

Quae omnia mihi persuadent similitudinem ipsam commutatam esse; verisimile enim est dominum simpliciter servum vineam saepire iussisse neque quicquam promisisse; additum ergo est in § 2 *καὶ ἕτερον δὲ μὴ ποιήσῃς τῷ ἀμπελῶνι· καὶ ταύτην μου τὴν ἐντολὴν φύλαξον, καὶ ἐλεύθερος ἔσῃ παρ᾽ ἐμοί*. Porro quod servus plus quam iussus erat fecit, dominus gaudet atque ei multos cibos ex convivio quodam mittit; ergo initio deerant § 6—8. Nunc reliquis servis, quibus magnam partem ciborum largitus est, dominum orare licet, ut illi maius praemium donet; atque dominus consilio inito servum manu mittit. Num servus coheres institutus sit, dubitari potest, quod explicandi causa additum videatur; hoc modo enim indicatur, quae ratio intercedat inter Christum et deum patrem. Concedendum quidem est apud Romanos accidisse, ut servi optime meriti coheredes instituerentur (cf. Mau, Privatleben der Römer p. 177). Si hac ratione similitudo restituta est, narratio paulo credibilior fit, ut ex usu vitae sumpta esse possit.

1) Cum haec disputatio in mandata reciperetur, verba Md. X 13 *πῶς γὰρ δύναται ἐκτρίβειν καὶ πάλιν σώζειν, οὐ νοῶ* interpolata esse consentaneum est.

e) Sim. VI.—VII.

Inde a similitudine VI. commutatio fit, quod Hermae ille pastor non solum mandata et similitudines narrat explicatque, sed ipse se angelum poenitentiae praebet; et quae similitudines appellantur, propius ad visiones accedunt. Hermae enim a pastore semper aliquid ostenditur, scilicet visione: greges ovium, salix permagna, turris supra saxum exstructa. Singulae partes imaginum diligentissime describuntur et explicantur haud aliter atque in visione tertia.

Exordium similitudinis VI. visiones et mandata tantum respicere videtur. Hermas enim domi suae sedens deum laudat *περὶ πάντων ὧν ἑωράκειν* et considerat *περὶ τῶν ἐντολῶν, ὅτι καλαὶ καὶ δυναταί κτλ.* Dum secum cogitat, num mandata observari possint, subito pastor adest eumque monet, ut fidem induat, quod si fecerit eum mandata observaturum esse. Sed deinde pergit de mandatis disserere: ea poenitentibus utilia esse, sed qui ea non sequatur, eum frustra poenitentiam acturum esse; porro quae § 4 sequuntur, a colloquio aliena sunt, sed speciem praedicationis

communis praebent, atque haec minus cum Herma loquitur quam cum tota ecclesia (cf. § 4 *οἱ οὖν μετανοοῦντες ἀποβάλλετε* — § 5 *μετὰ τὸ ταῦτα λαλῆσαι αὐτὸν μετ' ἐμοῦ*). Ergo § 5 cum eis, quae antecedunt, coniungi nequit, sed bene cum § 2 coniungitur, ut § 3—4 additamentum esse censeam. Sed quod hic iterum mandata esse bona et magnifica et omni modo servanda dicuntur, admirationem quandam movere potest, cum in fine Md. XII. fuse lateque hac de re dissertum sit. At transitus faciendi causa scriptor hoc non repetiit, ut similitudinem sextam aliquando parti mandatorum adnexam fuisse putem; sed quaerendum est, utrum ad priorem partem mandatorum (I—IV) an ad posteriorem pertineat, qua de re postea agam.

Sim. VI. et VII. artissime inter se cohaerent, cum Sim. VII. Hermae eadem accidisse nuntietur, quae Sim. VI. ostenta sunt. Hermae enim magnus grex ovium pascentium ostenditur, quarum erant aliae luxuriantes et exultantes huc et illuc, aliae vero luxuriantes, nec tamen exultantes. Custodiebantur a pastore iuvene et hilari, qui est *ἄγγελος τρυφῆς καὶ ἀπάτης* et qui oves a veritate avertit et libidinibus malis perdit, partim usque ad mortem, partim usque ad perversionem (*καταφθορά*). Illi sunt qui a deo discesserunt semper neque poenitentiam habent, quia nomen dei blasphemaverunt; sed alteri (*τὰ πρόβατα μὴ σκιρτῶντα*) libidinibus quidem sese tradiderunt neque vero nomen dei blasphemaverunt; qui spem poenitentiae habent, ut vivere possint, atque pastori magno et agresti traduntur, ut eos loco quodam praecipiti et spinoso pascat et multis modis torqueat (cp. 2). Hic pastor est *ἄγγελος τῆς τιμωρίας*. Qua quisque poena dignus est, eam patitur; tormenta sunt varia et hac in vita tolerantur. Imaginem nunc relinquens Hermas psychologicam addit explicationem; nam siquis inconstans negotiis nihil proficit, id deo crimini dat oblitus se peccavisse; tum ab angelo poenae torquentur erudiendi causa; cum vero poenitentiam egerint et peccata sua cog-

noverint, reliquum tempus pura mente deo servient bene dicentes, quod angelo poenae traditi sint (cp. 3). Quantum quisque temporis luxuriavit, tantum cruciatur, sed tormentum plus valet quam luxuria; voluptatis enim omnes homines brevi tempore obliviscuntur, quia stultitia affecti sunt; sin unum diem cruciantur, diutissime meminerunt, ut re vera per longum spatium temporis torqueantur (cp. 4—5).

Paucis diebus post Hermas pastori, quem eodem loco quo gregem ovium videt, se quoque ab angelo poenae cruciari narrat (Sim. VII). Sed cruciatur propter peccata domus suae, non propter sua ipsius. Nam si membra familiae torquentur, et ipsum caput familiae pati opus est. Pastor cum de poenitentia et remissione disserat, subito orationem interrumpit: opus esse Hermam afflictari, quia iusserit ille angelus, qui eum sibi tradiderit, ultroque ei gratiam habendam esse, quod afflictio ei antea a deo indicata sit; sed pastor promittit se cum Herma futurum et effecturum esse, ut angelus poenae aliquantum mitigetur, atque mandata sua eum observare iubet.

Similitudo septima quae vocatur neque similitudo neque visio est, sed de vita Hermae aliquid narratur. Id maxime tenendum est hic de Herma tantum et domo eius agi neque de ecclesia universa neque de aliquo coetu fidelium. Idem ponitur quod in Vis. I. et II.: *ἀλλ' ὁ οἶκός σου μεγάλας ἀνομίας καὶ ἁμαρτίας εἰργάσατο καὶ παρεπικράνθη ὁ ἔνδοξος ἄγγελος ἐπὶ τοῖς ἔργοις αὐτῶν* Sim. VII 2; cf. Vis. I 3_1, II 2_2. — Afflictatio quam Hermas habet ei antea indicata est; sed quo loco? Ego quidem hoc initio in Vis. II. clarius quam nunc dictum fuisse puto. Quae cum ita sint, haec *θλῖψις* non est persecutio omnium fidelium, sed illa afflictatio, quam Hermae accidisse Sim. VII. nuntiat. Atque haec afflictatio efficitur per pastorem poenae, cui Hermas iussu angeli gloriosi (= Michael) traditus est (Sim. VII). Sed quaerendum est, quae ratio intercedat inter angelum

vel pastorem poenae et illum pastorem, quocum Hermas semper colloquitur. Primum occurrit in Vis. V. vir magnificus et more pastorum vestitus et qui ab angelo glorioso se missum esse contendit; cui Hermas se traditum esse cognoscit, postquam ille faciem mutavit. Valde mirum est, quod Hermas eum cognoscit aut potius recognoscit (*ἐπέγνων*), quem numquam antea viderit. Sed tamen eum fortasse vidit, in similitudine sexta, ut videtur. Hic enim alter pastorum describitur hoc modo: Sim. VI 2_5 *δεικνύει μοι ποιμένα μέγαν ὡσεὶ ἄγριον τῇ ἰδέᾳ περικείμενον δέρμα αἴγειον λευκὸν καὶ πήραν τινὰ εἶχεν ἐπὶ τῶν ὤμων καὶ ῥάβδον σκληρὰν λίαν καὶ ὄζους ἔχουσαν καὶ μάστιγα μεγάλην καὶ τὸ βλέμμα εἶχε περίπικρον ὥστε φοβηθῆναί με αὐτόν*; qua cum descriptione conferas, quae in visione quinta de pastore dicuntur: primo *εἰσῆλθεν ἀνήρ τις ἔνδοξος τῇ ὄψει· σχήματι ποιμενικῷ, περικείμενος δέρμα αἴγειον λευκόν, καὶ πήραν ἔχων ἐπὶ τῶν ὤμων καὶ ῥάβδον εἰς τὴν χεῖρα* (§ 1), deinde *ἐγώ εἰμι ὁ ποιμήν, ᾧ παρεδόθης. ἔτι λαλοῦντος αὐτοῦ ἠλλοιώθη ἡ ἰδέα αὐτοῦ καὶ ἐπέγνων αὐτὸν ... καὶ φόβος με ἔλαβεν* (§ 3—4). Haec tam similia sunt, ut utroque loco de eodem pastore cogitandum esse censeam. Nescio an hinc illud *ἠλλοιώθη* intellegi possit; pastor enim illum quem in similitudine sexta tulerat vultum, iterum accipit, cum antea *ἔνδοξος τῇ ὄψει* esset; id quoque convenit, quod Hermas utroque loco vultu pastoris maxime terretur; nam quod Hermas Vis. V 4 consternatur propterea, *ὅτι οὕτως αὐτῷ ἀπεκρίθην πονηρῶς καὶ ἀφρόνως*, hoc aliud non est, quia non tam se insipienter respondisse dolet quam pastori ipsi, quem modo recognovit, responsum ferox dedisse. Ergo pastori poenae Hermas traditur, sed afflictatio aliquando finitur, quo facto pastori poenitentiae traditur: Sim. VI 3_6 *ὅταν οὖν θλιβῶσι πάσῃ θλίψει, τότε ἐμοὶ παραδίδονται εἰς ἀγαθὴν παιδείαν καὶ ἰσχυροποιοῦνται ἐν τῇ πίστει τοῦ κυρίου καὶ τὰς λοιπὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτῶν δουλεύουσι τῷ κυρίῳ*

ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ. Alter pastor ergo omnes reliquos dies apud Hermam manebit; et huc referendum est in Vis. V 1 *ἵνα μετά σου οἰκήσω τὰς λοιπὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου*. Duae res ergo in Vis. V. commixtae sunt: nuntiatur nunc Hermam angelo poenae, nunc angelo poenitentiae traditum esse. Mirum autem mihi videtur, quod, si Vis. V. angelum poenitentiae semper apud Hermam habitaturum esse enarratum est, hic tamen angelus deinceps tum maxime occurrit, cum Hermas in agro vel in monte versatus aliquid secum considerat: Sim. II. V. VI. VII. In Sim. VII 6 autem Hermas pastorem orat, ut secum maneat, quasi hoc non pridem promisisset, et pastor respondet *ἔσομαι μετά σου* atque eum mandata observare iubet: *πορεύου ἐν ταῖς ἐντολαῖς μου αἷς σοι ἐντέλλομαι*; sed quare dicitur *ἐντέλλομαι*, quamquam nulla iam mandata sequuntur? Omnia mihi persuadent similitudinem sextam et septimam initio alium locum tenuisse, visionem quintam vero magnopere confusam esse. Maximam autem difficultatem habet illa traditio. Res hoc modo sese habere mihi videtur: primum Hermas cuidam angelo traditus est praesidio, nescimus quo tempore; hic angelus quem Hermas cognoscit (Vis. V 3), maxima affinitate coniunctus est cum Poimandre, qui est ὁ *τῆς αὐθεντίας νοῦς* in scriptis Hermeticis; hunc „animum“ Hermas mutavit in eum, qui „novum animum“ (= *μετάνοια*) et „prudentiam“ (*σύνεσις*) hominibus dat (Md. IV 2_2). Deinde Hermas, quod domus sua peccavit, angelo poenae in tempus quoddam traditur, postea autem in reliquum vitae tempus iterum angelo priori traditur, at non ut ab eo revelationes accipiat, sed ut ab eo admoneatur. Itaque hunc ordinem fuisse puto: Post visionem quartam narratum erat Hermam pastori revelanti traditum esse; hic angelus ei illos greges ovium ostendit idemque se ipsum esse angelum poenitentiae dicit (Sim. VI); deinde Hermas propter peccata angelo poenae traditur (nonnulla ex Vis. V.), qua de re pastorem poenitentiae certiorem facit (Sim. VII.);

hic denique se poenitentiae causa semper apud Hermam habitaturum et mandata daturum esse promittit (Sim. VII. fin. et quaedam ex Vis. V.). Hic ordo visione quinta quae vocatur retractata maxime perturbatus est, ut singula exarare difficillimum sit, praesertim cum nonnulla omissa sint. Verisimile autem est totam visionem quintam qualis nunc exstat post Sim. VI. et VII. compositam esse, qua in re non solum visio quinta primaria, sed etiam Sim. VI. et VII. exemplo fuerunt, cf. *πειρασθῆναι* Sim. VII 1 et *ἐκπειράζων* Vis. V 3. Sed enucleare, quae sint antiquissimae partes visionis quintae, otiosum mihi videtur.

f) Sim. VIII.

In similitudine VIII. pastor Hermae permagnam ostendit salicem, quae campos montesque tegat et umbret omnes, qui nomine dei vocati sunt. Angelus gloriosus, qui apud salicem stat, de arbore ramos falce magna caedens fidelibus dat; tamen arbor integra manet. Deinde angelus iubet singulos quo ordine acceperunt eodem ramos reddere, quos lustrans ipse homines pro qualitate ramorum seorsum collocat, unde duodecim ordines constituuntur [1]. Tres ordines supremos, quorum rami vel virides vel pampinosi vel fructiferi sunt, sub potestatem suam recipiens angelus ipse in turrim dimittit, cum reliquos pastori tradat perlustrandos et si digni sint in muros dimittendos. Paucis diebus post quam pastor singulos ramos plantavit et irrigavit suum quisque ramum requirit et ordine priore reddit (4_{4}). Rami fere omnes mutati sunt: qui aridi erant, sunt virides, scissi coaluerunt, alii fruges ferunt; primi tantum

1) 1_{6} sq. tredecim genera numerantur, sed postea 4_{1} et 6_{4} sq. duodecim neglectis eis, qui 1_{8} afferuntur; primum quidem mirum est, quod hi una voce *ἡμίξηροι* designantur, cum ceteri duobus attributis definiantur, deinde scriptores apocalyptici numeros sanctos qui vocantur diligunt, cf. Sim. IX 1_{4}, 2_{3}, 9_{5}, 17_{1}, 18_{5}; itaque non dubito, quin § 1_{8} delenda sit.

(*οἱ τὰς ξηρὰς καὶ κεκομμένας ῥάβδους ἐσχηκότες*) iidem inventi sunt. Iterum omnes seorsum constituuntur, sed quid deinceps eis accidat, primo non dicitur.

Pastor capp. 3 et 6—10 explicat, quid haec imago significet. Similitudo enim ostendere vult, quo modo singuli sese habeant, postquam cura pastoris poenitentiae usi sunt (*πόσοι μετενόησαν καὶ ἐσώθησαν* 6_{1}) vel quid poenitentia effectum sit. Aut meliores facti sunt aut manserunt qui erant; ergo id ostendere interest, utrum singuli poenitentiam egerint necne; de genere poenitentiae ex qualitate ramorum per se nihil concludi potest. Sed tamen singuli ordines fere semper in tres partes dividuntur: 1) qui poenitentiam egerunt, 2) qui poenitentiam lentius egerunt aut spem poenitentiae habent, 3) qui non egerunt (cp. 6—10). Aeque praemia vel poenae diversa sunt: alii in turrim veniunt, alii in muros, alii in sempiternum pereunt. At quid sit *τὰ τείχη*, scriptor clare non indicat; tam subito, quam turrim in hanc similitudinem induxit, muri apparent inde a 2_{5}, quo loco angelus, postquam ipse tres ordines in turrim dimisit, pastorem reliquos in muros dimittere iubet, si digni sint.

Sed non minus muri quam turris offendunt; nam etiamsi turrim visione tertia descriptam esse concedas, in visione turris est imago ecclesiae, non domicilium fidelium, lapides in turri collocantur, non homines immittuntur. Deinde constructio *ἀπολύειν εἰς τὸν πύργον* ($2_{1.5}$) mira mihi videtur. Verbum *ἀπολύειν* enim proprie ad usum forensem pertinet: *ἀπολύειν τινὰ τῆς αἰτίας* vel uxorem ex matrimonio dimittere (cf. Herm. Md. $1_{6.7}$) vel captivum dimittere (cf. Martyr. Polyc. 9_{3}), cum „*ἀπολύειν* in aliquem locum“ non dicatur. Atque propria ex usu forensi significatio etiam hic subesse videtur. Illud quoque offendit, quod duo tantum ordines in turrim dimissi dilucide dicuntur (2_{1} *ἀπέλυσεν αὐτοὺς εἰς τὸν πύργον* et 2_{2} *ἀπέστειλεν εἰς τὸν πύργον*), cum de tertio ordine, qui prioribus similis est, *ἀπέλυσε* tantum

dicatur; at in explicatione 3_5 omnes tres ordines in turrim pervenisse ponitur. Itaque et turrim et muros a vera similitudine alienos esse suspicandum est. Potius imago videtur initio fuisse iudicium, quod angelus Michaël de fidelibus committit; rami enim sunt lex, quae ab angelo Michaël fidelibus datur, atque Michaël inspicit, num eam servaverint: *ἐπισκέπτεται οὖν αὐτούς, οἷς ἔδωκεν, εἰ ἄρα τετηρήκασιν αὐτόν* (sc. *τὸν νόμον*) 3_3.

Retractatio etiam alio loco apparet; 3_2 enim explicatur: *τὸ δένδρον τοῦτο ... νόμος θεοῦ ἐστιν ὁ δοθεὶς εἰς ὅλον τὸν κόσμον*, sed continuo additur: ὁ *δὲ νόμος οὗτος υἱὸς θεοῦ ἐστι κηρυχθεὶς εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς*. Si postea haec lex ab angelo Michaël in mentem fidelium data esse dicitur atque quaeritur, num lex observata sit (§ 3), his locis nullo modo lex filius dei esse potest, unde apparet haec verba (ὁ *δὲ νόμος — πέρατα τῆς γῆς*) postea addita esse.

In capp. 6—10, ubi reliqui novem ordines, qui pastori curandi traditi erant, explicantur, fere semper discernitur, utrum quis celeriter poenitentiam egerit an dubitaverit et lentius egerit; illis turris incolenda attribuitur, his muri. Scriptor ergo turrim uno pluribusve muris circumdari effingit (cf. 6_6 *εἰς τὰ τείχη τὰ πρῶτα* et postea $7_{2.3}$. $8_{2.3}$ ὁ *πύργος — τὰ τείχη*). Fr. Spitta ut hanc discrepantiam tolleret, omnes locos, qui de muris sunt et de dubitantibus, delendos esse censuit arbitratus 6_6 initio fuisse *ἐγένετο ἡ κατοικία αὐτῶν εἰς τὰ τείχη* et *τὰ τείχη* idem significasse atque ὁ *πύργος*, deinde addita voce *τὰ πρῶτα* opinionem exstitisse turrim muris cingi. Sed hoc inde exortum esse, quod *τὰ τείχη* falso intellecta sint, per se ipsum verisimile non est; accedit quod et turrim et muros a vetere similitudine aliena esse cognovimus, ut his paucis locis deletis textus primus restitui non possit. Id tantum dici potest scriptori vetustiora exemplo fuisse. Hanc arboris imaginem mere Iudaicam esse neque quicquam christiani habere

Spitta clare dilucideque demonstravit, sed scriptor de suo plus addidit, quam Spittae placet. Turrim ex visione sumpsit, at unde muri oriantur, ex visione explicari nequit. Fortasse additi sunt propterea, quod peccatores poenitentia peracta alii plenam remissionem nacti in ecclesiam ipsam reciperentur, alii vero, quorum poenitentia minus vera et bona esset, in pristinum statum non restituerentur, sed non plane excluderentur, quia spem plenae restitutionis haberent. Sim. VIII. ergo id maxime spectat, ut fideles ad poenitentiam quam celerrime agendam admoneantur, cf. 6_3. 11_1. Cum Sim. VI. et VII. initio Sim. VIII. coniuncta fuisse non potest, quia praeter visiones etiam mandata, quae pastor dedit, exstare ponitur, cf. 6_4 *ἃ σοι ἐνετειλάμην*, 7_5. 8_2. 10_1. $11_{3.4}$. Accedit, quod similitudo non ad Hermam solum pertinet, sed pastoris est animos fidelium renovare, cf. 6_3. 11_1.

g) Sim. IX.

Similitudo IX. repetitura est, quae spiritus sanctus effigie ecclesiae Hermae in visione tertia ostendit, 1_1. Laxo tantum vinculo cum prioribus partibus cohaeret; in fine enim Sim. VIII. pastor cetera paucis diebus post se ostenturum esse dicit; deinde idem repeti mira ratione probatur: Hermam enim antea infirmum fuisse neque angelum pati potuisse; sed postquam corroboratus sit, ei per Ecclesiam structuram turris ostentam esse, nunc vero eum videre eadem per angelum, qui omnia diligentius accuratiusque docturus sit. Apparet haec ad Vis. III 12_3 pertinere, id quod per se ipsum demonstrat totam similitudinem posterioribus temporibus additam esse aeque ac Vis. III 10_2—13. Est autem imago turris, quae Sim. IX. offertur, cum paucis partibus variata, tum multo latius descripta. Ac primum loca diversa sunt: visio tertia apud Romam, similitudo nona in Arcadia est. Quid Arcadia hic sibi vellet, viri docti maxime inter se dissenserunt;

verum Reitzenstein (Poimandres p. 33) invenisse mihi videtur; Hermes enim Trimaximus ex Arcadia in Aegyptum venerat, cuius rei memoriam Sim. IX. retinuit.

Hermas in Sim. IX. magnum campum ex monte quodam videt: in campo, qui duodecim montibus variis cingitur, album saxum surgit et maius omnibus montibus et quadratum; e saxo, quod vetustissimum est, porta excisa est, quam duodecim virgines circumstant. Deinde sex viri altissimi honestissimique multitudinem hominum, quos vocant, supra saxum portamque turrim aedificare iubent. Lapides decem et viginti quinque et triginta quinque et quadraginta ex profundo orti a virginibus per portam lati in fundamento turris ponuntur. Reliqui lapides a multitudine de montibus apportantur et a virginibus in turri collocantur. Qui lapides ab hominibus ipsis in turri ponuntur, ii removendi sunt, quod colorem reliquorum non nanciscuntur. Postquam mora aedificandi facta est, dominus ipse ad turrim inspiciendam venit et cum singulos lapides virga pulset, nonnulli commutantur, ut e turri eiciendi sint; qui lapides pastori traduntur emendandi et in turri reponendi. Inde a cap. 12. explicationes incipiunt.

In similitudine multa insunt, quae offendant. Circa portam duodecim virgines stant, quarum fortissimae quattuor angulos obtinent, 2_3; sed quomodo haec cogitari possint, non intellego. Postea autem (6_2, 7_3) virgines circa turrim stant, id quod secundum Vis. III 8_2 exspectamus. — Turris supra saxum portamque aedificata fingitur: 3_1 *οἰκοδομεῖν ἐπάνω τῆς πέτρας καὶ ἐπάνω τῆς πύλης*[1]); quin etiam turris saxo et porta sustinetur: 4_2 *ἡ δὲ πέτρα καὶ ἡ πύλη ἦν βαστάζουσα ὅλον τὸν πύργον.* Quomodo porta turrim sustineat me non intellegere confiteor. — Sed mirum est, quod haec imago teneri non videtur; 5_6 enim nonnulli

1) Secundum versionem Latinam; codex Athous et versio Aethiopica omittunt *καὶ ἐπάνω τῆς πύλης*, habent autem postea 4_2.

lapides ab eis, qui apportarunt, in turri collocantur: sed quomodo illi usque ad turrim, quae in saxo omnibus montibus altiore aedificetur, manum porrigere possunt, etiamsi ipsi *ὑψηλοὶ καὶ καλοὶ καὶ δυνατοί* sunt (3_1)? Homines autem iuxta turrim lapides ponere iubentur 4_8. Sed ubi est illud *παρὰ τὸν πύργον*? Cum turris supra saxum aedificetur, exspectes lapides summo in saxo poni; at per portam, qua sola aditus ad turrim patere videtur (cf. 4_4 et 4_1), a virginibus nondum sublati sunt, ut iuxta saxum eos iacere censeas. Res ergo mixtae sunt. Paucis diebus post pastor et Hermas ad turrim accedunt (5_6) neque saxi mentio fit. Dominus turris, qui deinde advenit, magnitudine turrim superat (6_1 *ὑψηλὸς τῷ μεγέθει ὥστε τὸν πύργον ὑπερέχειν*); cur non saxum et turrim superasse dicitur, quia turris supra saxum est? Virgines turrim custodiunt (6_2) et circa turrim ambulant: stantne ergo in saxo? Lapides, qui a domino turris removeri iubentur, iuxta turrim ponuntur ($6_{4.8}$. 7_1). Porro 7_3 virgines iterum circa turrim stant eam custodientes. Sed dixerit quispiam dominum et angelos et virgines omnes turrim cum saxo superasse, at certe non pastor neque Hermas eam superant, qui 9_6 turrim circumeunt et inspiciunt et 10_1 sqq. omnia, quae circa turrim sunt, plana et pura reddunt. In cap. 11. virgines Hermam turrim circumducunt et in terra (*χαμαί*) iuxta turrim vestimenta sternunt dormiendi causa (11_{5-7}). Omnia clare docent scriptorem imaginem non tenere; primo turrim in saxo, postea in plano aedificatam fingit.

Hanc tantam discrepantiam aliter explicare non possum, nisi quod scriptor secutus vetustius exemplum vel exempla parum diligenter tractavit. Imago turris ipsius fere eadem est atque in Vis. III., sed virgines, quas in visionem tertiam postea induxit, in similitudine nona ab initio adsunt. In Vis. III. turris supra aquas exstructa est, quae opinio ne in Sim. IX. quidem plane evanuit; primi enim lapides, qui in structura collocantur, ex profundo quodam emer-

gunt. Scriptor cum in visione tertia Christum fundamentum ecclesiae esse expressum non inveniret, imaginem commutare coepit fortasse ante oculos versante illo loco Matth. 16_{18} ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Saxum est vetus, quia filius dei πάσης τῆς κτίσεως προγενέστερος est, porta est nova, ὅτι ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τῆς συντελείας φανερὸς ἐγένετο 12_{2-3}. Quae opiniones magna ex parte imaginem absurdam effecerunt.

Etiam in explicationibus haud paucae dissensiones inveniuntur, quarum nonnullas ostendam: 12_{4b} εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ οὐδεὶς εἰσελεύσεται, εἰ μὴ λάβοι τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ — 13_1 ἄλλως ἄνθρωπος οὐ δύναται εὑρεθῆναι εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ἐὰν μὴ αὗται (sc. αἱ παρθένοι) αὐτὸν ἐνδύσωσι τὸ ἔνδυμα αὐτῶν. ἐὰν γὰρ τὸ ὄνομα μόνον λάβῃς (virginum an filii dei?) οὐδὲν ὠφελήσῃ; 13_1 αἱ παρθένοι αὗται ἅγια πνεύματά εἰσιν — 13_2 αἱ παρθένοι δυνάμεις εἰσὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ; 12_1 ἡ πέτρα καὶ ἡ πύλη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐστιν — 12_8 ὁ ἔνδοξος ἀνὴρ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐστιν. Spitta qui in nonam similitudinem diligentissime inquisivit (p. 293—323), omnes locos, qui de filio dei sunt et aliquid christiani prae se ferunt, interpolatos esse demonstrare conatus est; quibus deletis se exemplum Iudaicum recuperasse putavit. Völter (Die apostolischen Väter I p. 319) contra hanc Spittae sententiam dixit similitudinem nonam esse postremam partem libri proprie christianam, sed paucis annis post idem Völter (Die älteste Predigt aus Rom 1908 p. 61) proxime ad Spittae sententiam sese convertit atque praecipue portam filiumque dei ex similitudine eiecit, quo facto et ipse se librum Iudaicum recuperasse censet. Mihi quidem uterque erravisse vel potius finem transisse videtur. Quod Völter portam tantum primo defuisse existimat, hoc falsum esse demonstrasse mihi videor, cum porta et saxum artissime inter se cohaereant; aut utrumque aut neutrum removendum est. Itaque non puto eum, qui similitudinem inter-

polatam esse iudicat, omnibus incongruentiis mederi posse. Dissensiones autem inde explicandae sunt, quod scriptor exemplorum et cogitationum auctoritatem parum deserit neque quicquam vere novi iam formare valet. Ut exemplum huius rei afferam, cpp. $17—29_3$ de duodecim montibus agitur; montes vel lapides, qui in montibus inveniuntur, genus quoddam fidelium significant, alii sunt boni, alii mali. Eadem ratione suum cuique praemium attribuitur, alteris regnum dei, alteris mors, plurimis autem adhuc poenitentia datur. Sed quicquam novi his revelationibus non continetur. Cpp. 18—31 proxime ad Sim. VIII. et Vis. III. accedunt. Poenitentia enim singulis generibus praebetur pro gravitate peccatorum. Omnes praeter eos, qui dominum blasphemaverunt et servos dei prodiderunt, poenitentiam agere possunt. Interdum quidem poenitentiam celeriter agendam esse praecipitur, uno loco 26_6 consummatio turris memoratur, sed plerumque simpliciter poenitentia imperatur tempore non terminato, ut spatium poenitentiae morte singulorum finiri concludendum sit. Quam arte revelatio montium cum Sim. VIII. coniuncta sit, maxime ex contentione singulorum generum apparebit; in utraque enim eadem fere genera fidelium et peccantium inveniuntur. Conferas haec:

Sim. IX. 19 sqq.	Sim. VIII.
1) ἀποστάται, βλάσφημοι, προδόται	ἀποστάται, προδόται, βλασφημήσαντες 6_4
2) ὑποκριταὶ καὶ διδάσκαλοι πονηρίας	ὑποκριταὶ καὶ διδαχὰς ξένας εἰσφέροντες 6_5
3) πλούσιοι, πραγματείαις πολλαῖς ἐμπεφυρμένοι	ἐν ταῖς πραγματείαις ἐμπεφυρμένοι 8_1 πλουτήσαντες καὶ γενόμενοι ἔνδοξοι 9_1
4) δίψυχοι	δίψυχοι 7_1

5) δυσμαθεῖς. οὐδὲν ὅλως γινώσκονται	ταῖς διδαχαῖς ταῖς μωραῖς πείθοντες 6_8 μωροί 7_4
6) οἱ κατ' ἀλλήλων ἔχοντες, κατάλαλοι	κατάλαλοι καὶ μηδέποτε εἰρηνεύοντες εἰς ἑαυτούς 7_2
7) πάντοτε ἁπλοῖ καὶ ἄκακοι καὶ μακάριοι	σεμνοὶ καὶ δίκαιοι ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ πορευθέντες καὶ τὰς ἐντολὰς κυρίου πεφυλακότες 3_8
8) διδάξαντες σεμνῶς ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ἀληθείᾳ πορευθέντες	
9) (κακῶς διακονήσαντες) ἀρνησάμενοι, κατάλαλοι	v. s. 7_2 et ἀρνησάμενοι ποικίλαις ἀρνήσεσι 8_4
10) ἐπίσκοποι καὶ φιλόξενοι	—
11) παθόντες ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος	ὑπὲρ τοῦ νόμου παθόντες 3_6
12) ὡς νήπια βρέφη. πάντοτε ἐν νηπιότητι διέμειναν.	v. s. τὰς ἐντολὰς πεφυλακότες.

Accedit quod etiam Vis. III 5—7 cum alia similia inveniuntur, tum ea respondent, quae de lapidibus scabiosis et curtis dicuntur. Omnia mihi clare demonstrare videntur scriptorem in montibus explicandis visionem tertiam et similitudinem octavam adhibuisse. Num imago turris ipsa ex visione tertia sumpta sit, dubitari potest; magis verisimile mihi est et visionem et similitudinem ad tertium fontem communem referendas esse.

Inde a cp. 31_3 perorationes incipiunt; pastor in universum ad vitam corrigendam et poenitentiam agendam omnes fideles adhortatur, usque ad finem cp. 32. Scriptor ergo pastorem cum Herma solo colloqui obliviscitur et iterum praedicare incipit. Sed plus mirationis quae sequuntur cp. 33. habent: „haec omnia quae supra scripta sunt ego nuntius poenitentiae ostendi et locutus sum dei servis", quo cum loco conferas Vis. V 7 et Sim. VI 1_4. Scriptorne ipse est angelus poenitentiae an pastor totum

librum inspexit et tamquam sua ipsius manu subscripsit? Alter interpres Latinus incongruentiam sensit et post „scripta sunt" addidit „servanda mandat, ut iam agatis poenitentiam", at tamen et ipse pergit „ego pastor . . . ostendi et locutus sum". Quae adhortationes omnes id unum spectant, ut libellum apud fideles commendent.

Quale ingenium scriptoris sit, optime finis huius similitudinis docet; nam cum eam conclusam esse verbis 32_5 aut saltem 33_1 censeas, tamen mira ratione pastor ipse Hermam 33_2 interrogat: „omnia a me interrogasti? et ego dixi: ita domine. Quare inquit non interrogasti me de forma lapidum in structura repositorum, quod explevimus formas? et dixi: oblitus sum domine. 3 Audi nunc inquit de illis". Scriptor ipse suum opusculum cum iterum legeret, unam rem haud explicatam invenisse videtur. Illae formae lapidum, qui circa turrim iacuerant, per se ipsas nullius momenti sunt neque explicatione egent. At scriptor pro suo furore et libidine explicandi occasionem omittere nolebat, ut in appendice adderet, quid illae formae lapidum essent; atque mira explicatio efficitur: „hae enim formae peccata erant eorum et exaequata sunt, ne apparerent!" Cavendum est, ne hoc ab interpolatore scriptum esse censeas; scriptor idem est, sed nescio an aliquanto post quam librum in publicum edidisset, adiecerit, cum praedicatione poenitentiae novisque mandatis ad mores corrigendos multum profecisset: „hi (sc. lapides) sunt qui nunc mandata mea audierunt et ex totis praecordiis egerunt poenitentiam". Sed conclusio similitudinis hoc modo perturbata est.

h) Sim. X.

Similitudo X. quae vocatur re vera visionis quintae consimilis est; ut altera exordium, ita altera est peroratio longioris opusculi. Nuntius enim amplissimus, qui Hermam pastori tradiderat, domum Hermae venit „et consedit supra lectum". Postquam ipse ad mandata pastoris observanda

adhortatus est, Hermam haec mandata ceteris edicere iubet. Mirum est quod deinde pergit dicere se ad Hermam „has“ virgines misisse, ut cum eo habitarent; eas enim ad mandata observanda adiutrices fore et in munda domo libenter habitaturas esse. Atque iterum ille nuntius Hermam pastori tradit et virginibus, quibus ne umquam a domo Hermae recedant praecipit, 3 5. In cp. 4. denuo ad bona opera et mandata observanda admonetur, „ne dum tardatis facere, consummetur structura turris“. Sed summam admirationem movent, quae in fine totius libri (§ 5) dicuntur: „postquam locutus est mecum, surrexit de lecto et adprehenso pastore et virginibus abiit, dicens autem mihi remissurum se pastorem illum et virgines in domum meam“.

In Sim. X. duas partes confluxisse apparet; cpp. 1. et 2. enim ad Hermam et domum eius pertinent atque ad mandata tantum respiciunt; cpp. 3. et 4. vero, etiamsi de Herma solo agi videtur, id maxime spectant, quomodo mandata observari possint, atque omnes fideles ad opera bona adhortantur; eademque ad visiones et similitudines pertinent, cum virginum turrisque mentio fiat. Illud quoque apparet has duas partes non eodem tempore exortas esse. Quomodo enim scriptori in cp. 3. dicere licet se „has“ (= τάσδε) virgines misisse, quamquam in exordio similitudinis virgines non memoravit? Quas virgines ut induceret, scriptor permotus est visione tertia et similitudine nona, ubi eis, qui in veram ecclesiam pervenire velint, illas virtutes, quas virgines significent, exercendas esse docet. Quare autem in fine similitudinis angelus et pastorem et virgines, quas semper in domo Hermae manere iussit, secum abducat, non intellego.

Initio ergo similitudinem decimam (sc. cp. 1—2) post mandata stetisse suspicandum est. Munus pastoris erat Hermam, postquam per angelum poenae afflictatus est, nova mandata poenitentiae causa docere. Postquam hoc

munus peractum est, angelus amplissimus apparet, ut Hermam quid mandata valeant ipse doceat et pastorem, cui Hermam tradiderat, secum abducat.

Vidimus ergo secundam partem libri Pastoris similiter retractatam esse atque primam. Insunt quidem multa, quae ad Hermam solum pertineant, sed haec commixta sunt cum eis, quae ad totam ecclesiam spectant. Ordo primus non iam servatus est, nonnulla fortasse perierunt. Maxime perturbata est visio quinta quae vocatur; huc enim duae res confluxerunt: alicubi enarratum erat Hermam pastori revelanti traditum esse, deinde postquam hic angelus ei similitudinem sextam ostendisset, Hermam angelo poenae traditum esse; sed haec non solum permixta sunt, sed etiam adaucta. Initio enim pastoris erat Hermam nova mandata docere, sed postea cum scriptor iterum similitudines fingere coepisset, has quoque illi pastori attribuit, quomodo factum est, ut in visione quinta nunc de mandatis, nunc de similitudinibus agatur. Mandatorum varia corpora exstant; Md. I.—IV. initio pars visionum erant, a pastore ipso autem dabantur Mdd. V. IX. X. XII., ergo totidem atque in visionibus. In haec mandata scriptor postea inseruit Mdd. VI. VII. VIII., quae unum Md. I. latius explicent, et Md. XI. Omnia fere mandata clausulis adaucta sunt, quibus ad omnes fideles referuntur. Alia additamenta quibusdam quaestionibus, quae tum exstiterunt in ecclesia, effecta sunt; finis mandatorum ipse valde retractatus est. — Similitudines I.—V. sunt verae similitudines, quibus res divinae illustrentur. Sim. II. III. IV. artius inter se cohaerent, cum omnes de arboribus sint. Sim. V., cui fabula vetustior exemplo fuisse videtur et qua initio verum ieiunium illustratum erat, postea ad christologiam explicandam adhibita est. Sim. VI. et VII. ad Hermam ipsum pertinent et aliquando ante mandata

pastoris stabant. Sim. VIII. et IX., quibus vetustiora subsunt, ostendunt quae sit condicio ecclesiae et ad mores corrigendos spectant. Sim. X. quae vocatur semper finis totius libri erat. Omnium similitudinum praeter VI. VII. X. proprium est ad totam ecclesiam pertinere similiter ac Vis. III. Mandatis similitudines adnexae sunt nullo transitu facto; hoc inde explicari potest, quod scriptor singulas similitudines variis temporibus elaboravit.

Postquam singulatim demonstravi, quot dissensiones libro pastoris contineantur, haud inutile esse puto paucis verbis complecti, quomodo liber exortus et compositus sit. Totus liber retractatus est; initio enim exstabat libellus, qui ad Hermam et domum eius pertinebat; atque hoc libello scriptor visiones narrabat, quae sibi contigissent. Visiones dabantur a Sibylla vel ab angelis, et enarratum erat liberos et uxorem Hermae peccasse et admonendos esse. Cum prima adhortatio inutilis fuerit, anno post iterum admonetur atque a Sibylla libellum mandatorum accipit et magnam adflictationem sibi imminere audit. Haec adflictatio per angelum poenae efficitur, sed ut eam tolerare possit, ipse et domus eius ab angelo poenitentiae adiuvatur ab eodemque nova mandata ad mores corrigendos percipit; denique ab angelo amplissimo ipso, cuius iussu angelo poenitentiae traditus est, ad mandata observanda admonetur. Quae his fere narrantur locis: Vis. I. II. (IV.) Md. I.—IV., Sim. VI., Vis. V., Sim. VII., Md. V. IX. X. XII., Sim. X. Haec fabula ad domum scriptoris pertinet et id spectat, ut mores depravatos corrigat. Paulatim animum induxit mores omnium reformare se ipsum exemplum faciens, et alias visiones et similitudines scripsit, quae ad totam ecclesiam pertinerent et quas intra et extra urbem

legi volebat (cf. Vis. II 4_3). Denique omnia quae scripserat in unum corpus redegit addendo et commutando. Atque maxime ea mutavit et adauxit, quae de ipso narrabantur, cum vera mandata et similitudines plus minusve integra sint. Praecipue ea addita sunt, quae ad poenitentiam pertinent. Denique omnia sic composuit, ut primam partem Ecclesiae ipsi attribueret, alteram pastori, angelo poenitentiae; varia corpora mandatorum inter se coniunxit eisque sine transitu similitudines addidit.

Argumentum.

Vita.

Natus sum Emil Große-Brauckmann in vico Flierich provinciae Guestfaliae die 31. mens. Jan. a. 1887 a patre Guilelmo et a matre Emilia e gente Krümmer. Fidem confiteor evangelicam. In gymnasio oppidi Gütersloh testimonio maturitatis instructus studiis philologicis me dedi primum in universitate Friburgensi per unum semestre, deinde in universitate Berolinensi per tria semestria, denique per quinque semestria in Georgia Augusta.

Docuerunt me Friburgenses: Lommatzsch, Puchstein, Reckendorf, Rickert, B. Schmidt; Berolinenses: Delitzsch, Diels, Gunkel, Helm, Lasson, Norden, Paulsen, W. Schulze, B. Weiß, Wentzel, Wilamowitz; Gottingenses: Bousset, Busolt, Husserl, Knoke, Körte, Leo, Müller, Pohlenz, Rahlfs, Ed. Schwartz, Smend, Viertel, Wackernagel, Wellhausen. Proseminarii philologici Berolinensis eram sodalis per tria semestria, seminarii philologici Gottingensis per totidem semestria.

Cum omnibus, qui me docuerunt, gratias ago, tum iis, qui studiis meis maxime faverunt, M. Pohlenz et Ed. Schwartz, quantum debeam, numquam obliviscar.